

## PRIVILEGIA PRO SOCIETATE IESU A S. IGNATIO OBTENTA

SUMMARIUM: S. Ignatius, ad auxilium animarum multas gratias et privilegia procuravit, primum quidem vivae vocis oraculis, deinde vero litteris apostolicis, eaque non tantum pro professis Societatis, sed etiam pro iis qui Societati quodam modo adscripti erant, sive coadiutores spirituales nominati, sive formati coadiutores aut aliter in Societatem erant admissi. Eminent «Mare magnum», seu Bulla *Licet debitum*, 1549, a Paulo III concessa, quae tamen non omnia privilegia antea obtenta recoluit, imo deinceps aliis documentis et vivae vocis oraculis, vivente Ignatio, complenda fuit.

In Constitutionibus Societatis Iesu, in parte X, ubi sermo est «*de modo quo conservari et augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit*», haec leguntur verba:

*«Iuverit etiam moderatus et prudens usus gratiarum per Sedem Apostolicam concessarum, solius auxilii animarum fine sincerissime nobis proposito»*<sup>1</sup>.

Quid ergo S. IGNATIUS, privilegiis obtentis, intenderit verba haec patefaciunt: sincere auxilium animarum procurabat.

Mirum non est ad privilegia obtinenda auxilio animarum Ignatium moveri, cum ius commune religiosorum tunc vix existeret, sed ex privilegiis, singulis ordinibus concessis, eiusmodi ius quodammodo

---

<sup>1</sup> *Constitutiones Societatis Iesu*, pars X, 12 [825].

coalesceret. Itaque, cum primum Ignatius eiusque socii iuvare proximos intenderunt, ut privilegia obtinerent necesse fuit.

## 1. PRIVILEGIA PRIMUM OBTENTA, 1537

Mense martio anni 1537 Roman venerunt, ut hebdomadam sanctam agerent, novem illi «amici in Domino», qui ex Parisiis duos ante menses, Venetiam pervenerant; opportunitatem cum Romano Pontifice colloquendi Romae nacti sunt, et «*multi cardinales, episcopi et doctores disputaverunt cum illis [...], ita ut Papa ipse omnesque audientes sic contenti fuerunt, ut statim omnem eis favorem praeberent*»; id potissimum illis concessum est: «*iis qui sacerdotes erant, facultatem dedit ut confessiones audire possent omnesque casus episcopales absolvere*»<sup>2</sup>.

Sacerdotes tunc erant PETRUS FABER, PASCHASIUS BROËT, CLAUDIUS LE JAY<sup>3</sup>, et etiam DIEGO HOCES<sup>4</sup>, qui Romae coetui «amicorum in Domino» se adiuxerat; ii quidem primi usi sunt his privilegiis, a PAULO III sociis IGNATHI vivae vocis oraculo concessis.

Etenim haec facultas sacerdotibus IGNATHI sociis concessa duo privilegia continebat: primum, facultatem ut christifideles illis confiterentur, non prius obtenta aut petita licentia parochi proprii, quod privilegium contra ius vigens erat, in constitutione Concilii Lateranensis IV, *Omnis utriusque sexus fidelis*, anno

---

<sup>2</sup> Monumenta Historica Societatis Iesu [= MHSI] 22, *Epistolae Sancti Ignatii*, I, p. 119s.

<sup>3</sup> Confer: MHSI 66, mon. 6, *Epistola Lainii*, num. 33, p. 106.

<sup>4</sup> Confer: MHSI 66, mon. 7, *Summarium Polanci*, num. 66, p. 190.

1215, expressum, ex quo christifideles confiteri cum paracho proprio tenebantur. Hoc quidem privilegium, a Concilio Lateranense V, sessione XI, in Constitutione, *Super religiosos et eorum privilegia*, leviter modificatum<sup>5</sup>, sacerdotes regulares adepti erant.

Alterum vero privilegium, quod in facultate sociis IGNATII concessa continebatur, eis absolvendi potestatem a casibus episcopalibus, seu episcopis reservatis, concedebatur. In Summa Silvestrina quatuor casus a iure, innumeri vero ex consuetudine episcopis reservati, dicebantur<sup>6</sup>.

Iis vero, qui sacerdotes non erant, Romanus Pontifex concessit, «reverendas» seu litteras dimissorias, nulla mentione facta de titulo patrimonii aut beneficii, ut in tribus diebus festis aut dominicis, episcopus quilibet eos sacerdotes facere posset<sup>7</sup>.

Romanus ergo Pontifex ipse dimissorias litteras dedit ut episcopus quilibet ordinem presbyteratus eis iuxta ius vicens<sup>8</sup> conferret, nec ab eis titulus canonicus, sive patrimonii, sive beneficii, qui in presbyteris saecularibus necessarius erat, exigebatur; ideo septem alii socii<sup>9</sup> ad titulos «*voluntariae paupertatis et sufficientis litteraturae*» presbyteratum susceperunt<sup>10</sup>.

<sup>5</sup> *Conciliorum oecumenicorum decreta*, Istituto per le scienze religiose, Bologna, 3a, 1973, p. 647.

<sup>6</sup> *Summae Sylvestrinae...*, Pars prima, verbo *Casus*, p. 125, Lugduni, Beraud, M.D. LXXXII.

<sup>7</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, p. 120.

<sup>8</sup> C. 1, *de temporibus ordinationum et qualitate ordinandum*, I, 9, in VI<sup>o</sup>: Friedberg II, col. 975.

<sup>9</sup> Hi fuerunt Ignatius, Xavier, Laynez, Salmerón, Coduri, Bobadilla et Rodríguez; confer: MHSI 85, mon. 3, *Simonis Rodrigues, Commentarium de origine et progressu Societatis Iesu*, num. 60, pp. 82-83.

<sup>10</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, p. 120.

Rursus, legatus ipse pontificis in Venetiis omnibus concessit omnem auctoritatem ut in terris Venetiarum praedicare, docere et interpretari publice et privatim sacram scripturam possent; item, ut confessiones audirent et casus episcopales, archiepiscopales et patriarchales absolverent<sup>11</sup>.

Legatus quidem pontificis, HIERONIMUS VERALLO, die 5 iulii 1537, illas gratias concessit; extant documenta, quibus VERALLO legatus IGNATIO eiusque sex sociis haec concedebat:

*«missas et alia divina officia celebrare», «ecclesiastica sacramenta ministrare», «populo praedicare», «sacras litteras publice et priuate legere et interpretari», «omnium utriusque sexus fidelium confessiones audire», «eosque a casibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis aliisque locorum ordinariis aut ex iure aut ex consuetudine reservatis absolvere».*

Quae autem omnia huic conditioni subiciebantur ordinariorum locorum *«licentia per te prius requisita, licet non obtenta»*<sup>12</sup>.

Privilegium ergo idipsum quoad confessiones et casuum reservatorum absolutiones in venetiana ditione obtinuerunt, quod paulo antea eis Romanus Pontifex Romae largitus erat. Facultates vero praedicandi litterasque sacras docendi iuri vigenti concordabant, quo quidem ad praedicandum licentia locorum ordinariorum non exigebatur, sed tantum requirebatur ut praedicator documentum authenticum superioris, qui eum probaverat idoneum, ordinariis ostenderet<sup>13</sup>. Facultates vero illae duae, ad missas

<sup>11</sup> *Ibid.*, p. 121.

<sup>12</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, p. 533s. Etiam in: MHSI 44, *Lainii Monumenta*, I, doc. 2, p. 2.

<sup>13</sup> Concilium Lateranense V, *Supernae maiestatis praesidio*, 19 decembris 1516: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Istitutio per le scienze religiose, Bologna, ed. 3a, 1973, p. 636.

celebrandas et sacramenta ministranda, potius licentiae erant ad ministeria exercenda «ubi benevolos inveneris receptores».

## 2. ALIA PRIVILEGIA ROMAE OBTENTA, ANNO 1538

Posteaquam frustra iter in Hierosolymam tentarunt, Romam IGNATIUS, FABRO et LAÍNEZ<sup>14</sup>, eodem anno 1537, exeunte octobris mense, regressi sunt<sup>15</sup>. Ut IGNATIUS, sequenti anno, 19 decembris 1538, ad ISABEL ROSER scripsit, ubi Romam pervenerunt statim licentiam ad praedicandum, exhortandum, ad audientias confessiones procurarunt, quam quidem legatus eis copiosam concessit<sup>16</sup>.

Equidem, VICENTIUS CARAFFA, cardinalis neapolitanus, legatus pontificis Romae, die 3 martii 1538, IGNATIO eiusque decem sociis<sup>17</sup> concessit facultatem qua:

«Quoad vixeritis, ubique locorum et in hac alma Urbe et eius districtu», «verbum Dei [...] praedicare, ac privilegiis, gratiis, facultatibus, indultis et concessionibus, quibus praedicatores verbi Dei de iure vel consuetudine seu alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere» [possitis], «cuiusvis licentia super hoc minime requisita»<sup>18</sup>.

<sup>14</sup> MHSI 66, Mon. 7, *Summarium hispanum de origine et progressu Societatis*; auctore P. Ioanne de Polanco, n. 73, p. 194.

<sup>15</sup> MHSI 66, Mon. 4, *Memoriale B. Petri Fabri (fragmentum)*, n. 17, p. 41.

<sup>16</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, p. 138.

<sup>17</sup> Quos inter LAURENTIUS GARSÍAS nominatur, qui tamen in Bulla, *Regiminis militantis Ecclesiae*, 27 septembri 1540, omissus est.

<sup>18</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, Mon. 106, p. 538.

Quae quidem conditio, concessioni apposita, iuri vigenti, de quo supra, consona erat, quod, ut dixi, id tantum exigebat ut praedicator a superiore probatus esset et huiusmodi approbationem per litteras authenticas ordinariis locorum, ubi praedicaturus erat, ostenderet; quod quidem ex tenore concessionis non excludebatur. Caeterum, legatus CARAFFA IGNATIO sociisque eius quaecumque privilegia, quibus praedicatores utebantur, concedebat.

Illis etiam concedebat:

*«utriusque sexus fidelium [...] confessiones audire [...] et [...] illos a quibuscumque peccatis, criminibus et delictis, quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet absolvere possunt, absolvere» ... «diocesano- rum locorum, ac parochialium ecclesiarum quorumcumque rectorum aut quorumcumque aliorum licentia minime requisita»<sup>19</sup>.*

Nullam ergo eis conditionem imponebat; quod quidem privilegium erat contra ius vigens, iuxta quod licentia parochi proprii requirebatur.

Tandem, eis concessit *«Eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta ministrare»*, ea tamen conditione, *«sine tamen parochialium ecclesiarum rectorum praeiudicio, aut de illorum consensu»*, id est, licentias ad exercenda ministeria iuxta ius vigens exigebat.

### 3. PRIVILEGIA PER J. CODURI OBTENTA, ANNO 1540

Ex supplicatione IOANNIS CODURI ad PAULUM III, die 5 novembris 1540, prorrecta patet illum, vivae vocis oraculo, duas gratias prius obtinuisse: (1) facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reserva-

<sup>19</sup> *Ibid.*

tis, iis exceptis qui in bulla «In Coena Domini» continebantur, et (2) facultatem commutandi vota sedi apostolicae reservata, iis etiam demptis quae in eadem bulla excipiebantur.

Quinquaginta casus Romano Pontifici reservati in Summa Silvestrina numerantur, quos inter commutatio votorum peregrinationis in Hierusalem, Compostellam, in sepulchra Apostolorum PETRI et PAULI, vota castitatis, religionis, et votum per susceptionem ordinis sacri sollemnizatum<sup>20</sup>.

CODURI, itaque, die 5 novembris 1540, PAULUM III supplex rogavit ut eas gratias absolvendi a reservatis, commutationis et absolutionis votorum, concedere dignaretur sociis, quorum nomina in bulla confirmationis Societatis constabant<sup>21</sup>.

Immo, novam petitionem addidit, nempe, ut cum mane in confessionibus aut in aliis piis operibus occupati aut aliter impediti fuissent, eis post meridiem sacrum celebrare et eucharistiam ministrare liceret.

Tandem ipse CODURI monet se illa a PAULO III supplicasse, eumque ea omnia die 5 novembris 1540 apud Sanctum Petrum concessisse<sup>22</sup>.

Facultates quidem casus Sedi apostolicae reservatos absolvendi et vota pariter sedi apostolicae reservata commutandi privilegia contra ius erant; itemque privilegium contra ius erat facultas celebrandi missam post meridiem, nullo limite temporis praescripto<sup>23</sup>.

---

<sup>20</sup> *Summae Sylvestrinae ... Pars Prima*, Lugduni, Beraud, M.D.LXXXII, p. 121.

<sup>21</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. I, Florentiae, 1892, p. 5.

<sup>22</sup> MHSI 24, *Epistolae PP. Paschasii Broeti, Claudii Jaji, Joannis Coduri et Simonis Roderici*, p. 419s.

<sup>23</sup> PIUS V, *Sanctissimus in Christo*, 29 martio 1566, omnes facultates et licentias ad celebrandas missas «vespertino tempore», contra ius vigens concessas, abrogavit.

Hae quidem gratiae, a IOANNE CODURI obtentae ex vivae vocis oraculis PAULI III, authentice etiam constant: documentum exstat cardinalis ALEXANDRI FARNESSE, anno 1543, in quo testimonium praebet gratiarum concessarum

*«ad supplicationem quondam JOANNIS CODURI [...] eidem JOANNI, dum viveret<sup>24</sup>, et aliis nouem personis, in litteris institutionis seu confirmationis et approbationis dictae Societatis, desuper confectis, specialiter et expresse nominatis, viuae vocis oraculo concessas, quae sunt sequentes, videlicet».*

Sex recenset gratias, quarum quattuor hae sunt:

*«Quod tam dictus Joannes quam nouem personae praedictae, (1) confessionibus quorumcumque utriusque sexus xpifidelium, diligenter auditis, illos a peccatis suis, etiam casibus sedi apostolicae reseruatis, praeterquam de contentis in litteris bullae coenae Domini, absolvere [...]; (2) necnon uota quaecumque, exceptis etiam contentis in litteris bullae cenae Domini, in alia pietatis opera commutare, necnon quod, (3) propter occupationem in confessionibus audiendis, seu aliis piis operibus faciendis, vel alias ob aliud impedimentum, missas post meridiem celebrare, et (4) sacratissimum eucharistiae sacramentum aliis etiam post meridiem administrare».*

Quae in secundo, tertio et quarto loco proponuntur in hoc documento Cardinalis FARNESSE, eaedem sunt quae a CODURI anno 1540 dicebantur, licet accuratius iuridice proponuntur.

Duas autem gratias FARNESSE addit, quae in documento CODURI anno 1540 absunt; iam vero,

---

<sup>24</sup> MHSI 24, *Epistolae PP. Paschasii Broet ...*, p. 432. Ioannes Coduri die 29 augusto 1541 mortuus est; cfr. MHSI 85, *Fontes narrativi, III, P. Petri de Ribadeneyra censurae in vitam S. Ignatii a P. Maffei conscriptam*, p. 234.



quandoquidem supplicationi IOANNIS CODURI respondere dicantur, hic autem die 29 augusti 1541 mortuus sit, earum concessio per tertium quoddam vivae vocis oraculum primis huiusce anni mensibus necessario locum habuit.

Illae ergo posteriores gratiae, anno 1541 obtentae, hae sunt:

*«(5) horas suas canonicas diurnas pariter nocturnas antepone et postponere<sup>25</sup>; necnon (6) quoscumque libros de herese suspectos et alias legi prohibitos, ad illos impugnandum et contradicendum, absque conscientiae scrupulo seu alicuius censurae poena legere libere et licite possent».*

Patet illa contra ius vogens privilegia esse<sup>26</sup>.

Has gratias, vivae vocis oraculis obtentas, exponit IGNATIUS in litteris, 1 novembris 1542, ad SIMONEM RODRÍGUES<sup>27</sup>.

Si vero septem gratias, quas IGNATIUS refert in hac ad SIMONEM RODRÍGUES epistola, cum iis quas cardinalis FARNESSE referebat, conferamus, animadvertimus IGNATIUM omisisse facultatem (2) vota sedi apostolicae reservata commutandi, quam CODURI obtinuerat; e contra, IGNATIUS facultates recenset duas, nempe, (1) praedicare ubique terrarum et (3) admi-

---

<sup>25</sup> Consultatio facta esse videtur circa interpretationem huius privilegii; in litteris, novembri 1547, sic legitur: *«Los agentes M. Pedro Codazio y Francisco Çapata me informan que no se da licencia para antiponer y posponer horas, tomando vn día para otro, como entienden»*: MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 220, p. 632.

<sup>26</sup> De horis canonicis: c. 1, 9, X, *de celebratione missarum, et sacramento Eucharistiae et divinis officiis*, III, 41. De libris prohibitis: Ioannes XXII, *Super illius*, anno 1326, § 3: *Fontes C.I.C.*, I, doc. 37, p. 36.

<sup>27</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, mon. 54, p. 232.

nistrare alia sacramenta, sine praeiudicio tamen parochorum, quae per cardinalem VICENTIVM CARAFFA anno 1538 obtentae erant.

#### 4. ALII COMPLURES HIS PRIVILEGIIS DONANTUR, ANNO 1542

Litteris IGNATHI ad SIMONEM RODRÍGUES, 1 novembris 1542 datis, de quibus supra, ubi gratiae a sede apostolica usque ad illud tempus obtentae recensebantur, edocemur etiam complures alios iisdem privilegiis uti posse, cum PAULUS III benigne accepisset supplicationem Societatis Iesu, quam IGNATIUS in eisdem litteris transcribebat. Testimonium huius concessionis IOANNES ALVAREZ DE TOLEDO, Cardinalis Burgensis, die 12 octobris 1542, praebet:

*«Hodie sanctissimus in Christo Pater et Dominus D. Paulus divina providentia papa tertius, supplicationibus nostris pro parte vestra suae Sanctitati prorrectis inclinatus, [...], superiori dictae Societatis, qui nunc est vel cuicumque qui pro tempore fuerit, ut possit easdem facultates, gratias, indulgentias et concessionem in genere et in specie alias per Sanctitatem suam Sanctamque Sedem apostolicam vestrae Societati concessas, quibuscumque aliis personis Societatem dictam ingressis, ingredientibus et ingressuris et votum castitatis et paupertatis emittentibus et dictam Societatem ingrediendi propositum habentibus, totiens et quotiens praedicto superiori visum fuerit expedire, impartiri et largiri possit et valeat, licentiam et auctoritatem et facultatem, vivae vocis oraculo nobis desuper facto, auctoritate apostolica concessit et indulxit»<sup>28</sup>.*

Benigne ergo PAULUS III Societatis praeposito concessit ut privilegia usque illuc obtenta communi-

---

<sup>28</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, doc. 126, p. 654.

care valeret non solum iis qui in Societatem «*ingressi erant*», scilicet, qui professionem votorum sollemnium emiseraut, sed etiam iis qui «*ingressuri erant*» in Societatem, id est, qui probationibus peractis admissionem in Societatem per professionem sollemnem expectarent, dummodo illi vota castitatis et paupertatis emisissent, et propositum in Societatem per professionem sollemnem ingrediendi haberent.

Equidem, sic se res habebat anno 1542 quoad «*litteris instructos*», qui poscebant ut in Societatem adscriberentur; ab iis, antequam ad probationem admitterentur, exigebatur, ut vota, privata quidem, castitatis et paupertatis emitterent; cum autem ingressum in Societatem expostulassent, satis patebat eorum propositum in Societatem quondam ingrediendi per professionem sollemnem<sup>29</sup>.

Haec privilegiorum Societatis, nempe Professorum votorum sollemnium, largitio etiam ad eos qui nondum religiosi professi in ordine quodam religiosorum erant, — «*non sunt de Societate*», ut IGNATIUS in litteris anno 1545 scripserat<sup>30</sup> —, sed id tantum in votis habebant, nova quaedam praeter ius vicens privilegia fuerunt; hoc enim vivae vocis oraculo PAULUS III concessit iis, qui religiosi fieri cupiebant, eas facultates ad ministeria sacerdotalia exercenda quae religiosis professis ordinum religiosorum concedi solitae erant.

Necessaria tamen haec privilegiorum extensio videbatur: non pauci eorum sacerdotum, qui in

---

<sup>29</sup> MHSI 63, *Monumenta Constitutionum*, I, p. 59; Confer: E. OLIVARES, *Los votos de los escolares de la Compañía de Jesús. Su evolución jurídica*, Bibliotheca Instituti Historici 19, Roma, 1961, p. 3ss.

<sup>30</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 100, p. 336.

Societatem ingredi cupiebant, in ministeriis apostolicis cum decem primis sociis, Professis, collaborabant; ex quibus sacerdotibus unus ANTONIUS DE ARAOZ die 19 februarii 1542 professionem sollemnem emiserat<sup>31</sup>.

IGNATIUS vero per litteras, de quibus paulo antea, ad SIMONEM RODRÍGUES, 1 novembris 1542, ei facultatem communicandi privilegia pontificia iis etiam non Professis concedebat<sup>32</sup>.

Quot vero ii fuerint, quibus, castitatis et paupertatis votis emissis, propositum in Societatem ingrediendi habentibus, IGNATIUS aut SIMON RODRÍGUES gratias Professis concessis communicaverint, nescimus; scimus tamen quamdam confusionem ortam esse ex concessionibus a SIMONE RODRÍGUES factis<sup>33</sup>.

Aliquot post annos dubitatum est an vigerent haec privilegia vivae vocis oraculo a PAULO III concessa iis qui in Societatem ingredi cupiebant sub quibusdam aliis conditionibus, cum PAULUS III omnes facultates «ad instar» concessas revocasset. Facta quadam cum peritis per PETRUM CODACIUM et FRANCISCUM ZAPATA, qui «curiales erant», consultatione, imo, posteaquam NADAL auditorem PUTEO consulisset, POLANCO scripsit gratias certo non esse revocatas, cum PAULUS III non gratias «ad instar» concessisset, sed ad non Professos easdem gratias extendisset<sup>34</sup>.

Iam vero, cum PETRUS CODACIO sabbato die 7 decembris 1549 mortuus esset<sup>35</sup>, PETRUS vero ZAPATA Societatem Iesu anno 1548 reliquisset<sup>36</sup>, haec consul-

<sup>31</sup> MHSI 1, *Chronicon Polanci*, I, p. 103.

<sup>32</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 54, p. 232.

<sup>33</sup> MHSI 12, *Epistolae mixtae*, I, doc. 52, p. 178s.

<sup>34</sup> MHSI 42, *Epistolae S. Ignatii*, XII, doc. 17, p. 683.

<sup>35</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 959, p. 607.

<sup>36</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, doc. 141, p. 713.

tatio eiusque determinatio anno 1548 locum habuerunt.

Caeterum, satis patere videtur PAULUS III non concessisse iis, qui Societatem ingredi volebant, privilegia illa «ad instar» privilegiorum, quae Professis concessa erant; non enim videtur fundamentum illius concessionis fuisse similitudo facta inter eos qui Societatem ingredi vellent et Societatis Professos, sed PAULUS III gratias Professis antea concessas iis qui Societatem ingredi vellent «directe» largitus est.

Tandem, nihil aliud de hac revocatione privilegiorum PAULI III afferre possumus.

## 5. RECITATIO NOVI BREVIARII QUIÑONES

Exeunte anno 1542 obtenta est vivae vocis oraculo, teste cardinali GUIDICIONI, facultas qua recitatio novi breviarii, cuius auctor FRANCISCUS DE QUIÑONES erat, permittebatur; novum ergo privilegium praeterius Societas obtinuit.

Testimonium vero cardinalis GUIDICIONIS sic se habet:

*«Item, ut valeat dictus superior novi breviarii usum illis impertire atque indulgere, qui postmodum Societatem ingressi fuerint vel, facto castitatis et paupertatis voto, ingredi proposuerint, quando et quatenus ad spiritualem profectum commodius fore cognoverit. S. D. N. PP., me petente, concessit. B. Cardinalis Guidicionis»<sup>37</sup>.*

SIMONI RODRÍGUES hoc eodem anno licentia «ad novum officium recitandum» concessa est<sup>38</sup>. Hoc au-

<sup>37</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, doc. 128, p. 658.

<sup>38</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 45, p. 212.

tem privilegium in breve *Cum inter cunctas*, anno 1545, renovatum est.

## 6. NOVUS «BREVIS», ANNO 1544, PROCURATUR

PAULUS III die 14 martii 1544 Bullam INIUNCTUM NOBIS<sup>39</sup> promulgavit, qua numerus Professorum, ad solos 60 in Bulla foundationis *Regiminis militantis Ecclesiae*, die 27 septembri 1540, restrictus, liber fiebat.

IGNATIUS postea a PAULO III postulavit ut per Brevem gratias vivae vocis oraculis concessas ratas faceret. Conditiones, tamen, quas proposuerat, ut quis eiusmodi privilegiis frueretur, non erant ut is vota paupertatis et castitatis emisisset utque propositum in Societatem ingrediendi haberet, quae quidem in vivae vocis oraculo, teste cardinali IOANNE ALVAREZ DE TOLEDO, anno 1542 concesso, requirebantur, sed solummodo ut in Societatem ingrediendi firmum propositum haberet<sup>40</sup>.

Quibus in verbis animadvertitur mutatio conditionum, quae tunc exigebantur in iis qui ad studia peragenda in collegiis admittebantur, cum non iam ab eis vota paupertatis et castitatis exigerentur, sed tantummodo propositum in Societatem ingrediendi<sup>41</sup>; et licet illi «litteris instructi», qui ad studia non mittebantur, vota illa etiam tunc emittebant, IGNATIUS voluisse videtur ut minimum requireretur ut quis privilegiis frui posset.

<sup>39</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. I, Florentiae, 1892, pp. 7-10.

<sup>40</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 62, p. 251.

<sup>41</sup> MHSI 63, *Constitutiones*, II, p. 56.

IGNATIUS sperare videbatur ut cito Brevis haberetur; ideo nonnullae litterae, ubi alii nuntii mittebantur, non missae sunt, cum vellet textum eiusmodi Brevis illis adiungere<sup>42</sup>.

## 7. BREVIS *Cum inter cunctas*, ANNO 1545

Brevis tandem, qui verbis *Cum inter cunctas* incipit, die 5 iunio 1545 obtentus est; ibi conceduntur «vobis, [...] et cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, et per vestrae Societatis Praepositum pro tempore existentem deputatus fuerit» hae facultates:

(1) «in quibusvis ecclesiis [...] ubique locorum clero et populo verbum Dei praedicandi, proponendi et interpretandi [...]»,

(2) «quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium [...] confessiones audiendi, et [...] ab omnibus et singulis eorum peccatis [...] quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis [absolvendi]»,

(3) «et a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis (exceptis contentis in bulla, quae in Coena Domini solita est legi) absolvendi»,

(4) «nec non vota quaecumque per eos pro tempore emissa (ultramarinis, visitationis liminum BB. Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, nec non religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi»,

(5) «ac Missa ante diem, circa tamen diurnam lucem, et etiam infra horam post meridiem, quando et quoties, stante legitimo impedimento, moderno et pro tempore existenti Praeposito vestro praefato id necessarium, vel alias in Domino expedire visum fuerit»,

(6) «et post seu ante illam celebrationem, aut alias,

---

<sup>42</sup> MHSI 24, *Epistolae Paschasii Broeti, ... Simonis Roderici*, p. 773.

*Christi fidelibus ipsis Eucharistiae et alia ecclesiastica Sacramenta, sine alicuius praeiudicio, ministrandi, Dioecesanorum locorum, Rectorum parochialium et aliarum ecclesiarum aut quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita»,*

(7) «*ac canonicas diurnas pariter et nocturnas, secundum usum Romanae Ecclesiae noviter editum, dicendi et recitandi [...]*».

Facultates, quae hoc Breve confirmantur, non sunt eae omnes quae vivae vocis oraculis concessae erant; in hoc enim Breve nec facultas habendi et legendi libros haereticorum nec facultas anticipandi et postponendi horas canonicas confirmantur; imo, conditiones aliquibus facultatibus appositae non eadem sunt quae in vivae vocis oraculo apponebantur, quandoque etiam sunt restrictivae; exempli causa: missa iuxta Brevem celebrari licet «*ante diem, circa tamen diurnam lucem*», et post meridiem, sed tantummodo «*infra horam post meridiem*».

POLANCO in Serie tertia dubiorum, num. 30, recenset gratias, quas Brevis confirmat aut omittit<sup>43</sup>.

IGNATIUS citius communicavit has facultates per Brevem recenter confirmatas. Quadragesimum post diem, 15 julio 1545, PETRO FABRO documentum mittit quo fidem facit facultatum quas ei communicat; omnes quidem quae in Brevi continentur, «*ad ea omnia exequenda, quae latius in forma brevis continentur, tenore praesentium constituimus et deputamus*»<sup>44</sup>.

In alio tamen adiuncto documento ei praecipit:

---

<sup>43</sup> MHSI 63, *Constitutiones*, I, doc. 38ter, p. 316. Indulgentia, de qua ultimo loco mentio fit, obtenta a Francisco Borgia anno 1547 est.

<sup>44</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 88, p. 311.



*«ne ex aggressa verbi Dei et sacrorum administratione, sine immediati superioris beneuolentia et facultate, scandalum populi suboriatur, eius aedificatione impedita, uolumus ut tu, consulto prius loci rectore spirituali, illique intimatis facultatibus, hoc facias, ut, licentia petita prius et obtenta, possis cum omnium amore diuinum munus exequi ad eius laudem»<sup>45</sup>.*

De facto, ergo, libertatem agendi sine praevia licentia superiorum ecclesiasticorum renuntiat.

Eadem fere documenta IGNATIUS ad FRANCISCUM XAVERIUM die 17 decembri 1545 mittit<sup>46</sup>.

Tamen, Brevis ille supplicationibus IGNATII non respondebat; quod ipse IGNATIUS in litteris circiter anno 1545 datis notum fecit. Licet documentum difficulter legatur, tamen verba quaedam bene intelliguntur quibus differentiae inter Brevem et vivae vocis oracula exponuntur<sup>47</sup>.

Meminit primum in hisce litteris gratias vivae vocis oraculis anno 1538 concessas; dein, facultates per IOANNEM CODURI anno 1541 obtentas, de quibus anno 1543 cardinalis A. FARNESSE testimonium dederat; postea vero, vivae vocis oraculum, teste cardinali IOANNE ALVAREZ DE TOLEDO, die 12 octobri 1542 concessum. Notum deinde facit Brevem facultates confirmare in favorem eorum qui Societatis sunt, id est, eorum qui professionem sollemnem emisissent, non vero pro iis qui nondum ad Societatem pertinerent, licet propositum in illam ingrediendi haberent, immo castitatem et paupertatem privatim vovissent. Innuere etiam videtur fore ut alius Brevis procuraretur, ubi facultates illae etiam concedantur iis qui

---

<sup>45</sup> *Ibid.*

<sup>46</sup> *Ibid.*, pp. 350-351.

<sup>47</sup> *Ibid.*, p. 335s.

nondum Professi Societatis sint; interea vero censet istis non Professis uti licere privilegiis vivae vocis oraculis concessis.

Hanc quidem iuris expositionem IGNATIUS secutus, ut omnia clarius paterent, ad LEONARDUM KESSEL et PETRUM CANISIUM, Coloniam, die 6 junio 1546 haec scripsit:

*«His diebus constituisse nos, ut nullus habeat facultatem illarum gratiarum, de quibus scripsisti, nisi per nos immediate collatam. Itaque, si qui sunt, qui illam facultatem acceperint, siue per nos, siue per ministerium sociorum nostrorum, cum primum has litteras receperint, pro nihilo habeatur».*

Sed statim subiunxit:

*«Quandoquidem autem te, Domine Leonarde, scimus vota habere castitatis et paupertatis et propositum nostram ingrediendi Societatem, atque alioqui nobis probatus es, illa tibi, apostolica auctoritate viuae vocis oraculo a S.D.N. papa Paulo III nobis tradita, concedimus ac damus in Domino».*

Tandem addidit:

*«Quod si quis praeterea inter vos fuerit, qui eadem vota habeat et propositum, et tibi Leonardo et Petro Canisio probatus fuerit, mihi scribetis per litteras nomen eius et cognomen ut, quod ad gloriam Dei existimemus, postea possimus expendere et deliberare»<sup>48</sup>.*

In his documentis, facultates octo eis communicat; septem, quas in Breve *Cum inter cunctas* confir-

---

<sup>48</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 125, p. 395. O. BRAUNSBERGER, *Petri Canisii S.I. epistolae et acta*, I, p. 195s.

matas, supra memoravimus, et praeterea facultatem anticipandi et posponendi horas canonicas, quae in Breve omissa erat; facultatis habendi et legendi libros haereticos non meminit.

Eodem die, 6 iunio 1646, ad socios Parisiis degentes litteras easdem misit; nullas fecit concessionem priores, sed denuo easdem facultates PAULO A. DE ACHILLIS, IOANNI B. VIOLA, PETRO A. DE SALUATICIS et IOANNI PELLETARIO concessit, quos *«scimus vota habere castitatis et paupertatis et propositum ingrediendi nostram Societatem atque alioqui nobis probati estis»*<sup>49</sup>; PAULUM vero DE ACHILLIS rogat ut nomina aliorum mittat, quibus concedi possint facultates quaedam; quae quidem eae sunt quae LEONARDO KESSEL denuo concessae erant.

In aliis litteris, quae ex eorum tenore his diebus datae sunt, IGNATIUS proponit usum diversum harum gratiarum, eo quod per Brevem Professis, aut per vivae vocis oracula aliis non Professis concessae sint:

*«Illud interim monendi estis, quod hasce omnes gratias, quas habituri sunt qui hanc religionem profitentur, donec aliqui non sint professi, non publice possunt suum in patrocinium adducere, quia viuae vocis oraculo, non per diplomata, concessionem hanc habuimus a summo pontifice, pro his, inquam, qui Societatem non professi sunt; nam professi per breve vel diploma publice etiam sua poterunt privilegia ostendere. Nihilominus in foro conscientiae perinde est viuae vocis oraculo ea obtinuisse, ad eius, qui dispensat, securitatem, et eorum, qui iis fruuntur, utilitatem»*<sup>50</sup>.

Immo, die 19 martio 1549 ANTONIO VINCK documentum missum est, quo constaret quae gratiae vivae

<sup>49</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 126, p. 397.

<sup>50</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 234, p. 663.

vocis oraculis obtentae ei communicatae sint, «*vt et quieti conscientiae tuae et aliorum, qui tua in Domino opera vtentur, sit consultum*»<sup>51</sup>.

Quandoque vero aliquas tantum gratias concessit, ut patet ex litteris, die 12 octobri 1549, ad ELPIDIUM UGOLETTI<sup>52</sup>.

## 8. BREVIS *Exponi Nobis*, ANNO 1546

Per *Brevem Exponi Nobis*, die 5 iulii 1546 datum, Societati haec conceduntur: 1º, ut admittere liceret Coadiutores, sacerdotes qui in rebus spiritualibus, et saeculares, qui in rebus temporalibus et domesticis, eam adiuverent; 2º, ut Coadiutores spirituales promovere liceret etiam ad presbyteratus ordinem de licentia Praepositi Generalis, et 3º:

«*Quodque tu, fili Praeposite, et pro tempore existens Praepositus Societatis huiusmodi, de caetero perpetuis futuris temporibus viginti dumtaxat ex eisdem Presbyteris Coadiutoribus, quos ad id idoneos inveneritis, et quando tibi seu eidem pro tempore existenti Praeposito placuerit, easdem facultates, gratias et auctoritatem, quas Professis Societatis huiusmodi concedere potes, seu per Nos quomodolibet concessae existunt, in toto vel in parte libere concedere [valeas]*»<sup>53</sup>.

POLANCO meminit horum trium capitum, cum in tertia dubiorum serie facultates per hunc *Brevem* concessas recenset<sup>54</sup>.

<sup>51</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 608, p. 361.

<sup>52</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 912, p. 575.

<sup>53</sup> *Institutum Societatis Iesu*, I, Florentiae 1892, p. 12.

<sup>54</sup> MHSI 63, *Constitutiones*, I, doc. 38ter, p. 312s.

Quod Praeposito Generali ad ordines sacros praesentare liceret eos qui non erant Professi Societatis, sed eius Coadiutores, qui quidem professionem sollemnem non emisierant, privilegium praeter ius habendum est.

Caeterum, quae in hoc Breve anno 1546 concessa sunt, medium quid sunt inter facultates, quae in Breve anni 1545, *Cum inter cunctas*, concedebantur, et ampliores facultates, vivae vocis oraculis obtentas, quarum confirmatio per novum Breve intendebatur; non enim Praeposito Generali concessum est ut facultates Professorum communicare valeret aliis omnibus qui professionem sollemnem nondum emisierant, sed viginti tantummodo, qui Coadiutores spirituales admitterentur.

Annis 1547-1549 IGNATIUS aliquot Coadiutores spirituales admisit, quibus easdem gratias ac Professis communicavit.

In documento, quo Coadiutores creabantur, postquam ea quae in Brevi *Exponi Nobis* habentur commemorat, superior eum cui facultates concedit sic alloquitur:

*«te N. firmum propositum habentem ingrediendi Societatem huiusmodi [...] in coadiutorem nostrum et dictae Societatis vnum de numero 20, juxta nobis attributam facultatem, et ad ea omnia exequenda, quae latius in forma brevis continentur, tenore praesentium constituimus et deputamus»<sup>55</sup>.*

Patet eiusmodi Coadiutores tantummodo per documentum creatos esse, eos tamen professionem religiosam per vota publica nequaquam emisisse; etenim

---

<sup>55</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 127, p. 399. Formula generalis huiusmodi concessionis in: MHSI 42, *Epistolae S. Ignatii*, XII, doc. 38, p. 285s.

praepositus generalis ope documenti eos constituebat «Coadiutores spirituales non formatos», quod quidem ex POLANCO consultationibus hac de re clare infertur<sup>56</sup>. Ut notum est, nonnisi quattuor post annos, die 3 octobri 1553, tunc primum duo sacerdotes vota publica Coadiutorum formatorum in urbe Lisboa emiserunt die sollemni festo quo diversi gradus Societatis regi curiaeque regiae propositi fuerunt<sup>57</sup>.

#### 9. INDULGENTIAE PRO IIS QUI EXERCITIA SPIRITUALIA PERAGUNT PROCURANTUR

FRANCISCUS BORGIA in litteris ad IGNATIUM, die 7 iunii 1546 suum propositum patefecit a Romano Pontifice indulgentias quasdam impetrandi pro iis qui Exercitiis spiritualibus vacarent; qua quidem ratione pateret etiam eiusmodi Exercitia doctrinam solidam continere; itaque decanum ROCA rogavit ut haec a PAULO III eius nomine supplicaret, IGNATIUM vero ut huic supplicationi faveret<sup>58</sup>.

Itaque FRANCISCUS BORGIA a Romano Pontifice privilegium quoddam praeter ius postulabat.

IGNATIUS primum respondit, litteris ad MICHAELEM TORRES die 10 septembri 1546 missis, se multas difficultates invenisse in his gratiis et indulgentiis obtinendis, sed tandem statuisse se a PAULO III supplicaturum ut omnes qui per aliquot dies in contri-

---

<sup>56</sup> Confer: E. OLIVARES, *Los coadjutores espirituales y temporales de la Compañía de Jesús, su origen y votos*: Archivum Historicum Societatis Iesu, 33 (1964) 116ss.

<sup>57</sup> MHSI 13, *Epistolae Nadal*, I, doc. 60, p. 198s; MHSI 6, *Litterae quadrimestres*, II, p. 441.

<sup>58</sup> MHSI 23, *S. Franciscus Borgia*, II, doc. 232, p. 514s.

tione et dolore peccatorum se exercitassent, et omnia ante actae vitae peccata cum aliquo de Societate confiterentur et deinde communicarent, indulgentiam plenariam lucrarentur<sup>59</sup>.

Paulo post, supplicationem iam factam esse eidem TORRES notum fit<sup>60</sup>.

Primum, Brevis quidam, die 2 ianuarii 1547, obtentus est, quo indulgentia plenaria concedebatur iis qui cum aliquo e Societate peccata confiterentur<sup>61</sup>. Quem quidem Brevem in litteris 20 martii 1547 commemorare videtur ANDREAS DE OVIEDO<sup>62</sup>.

FRANCISCUS BORGIA in litteris 7 maii 1547 IGNATIUM edocet de fructibus ex iis gratiis Valentiae collectis, sed dolet quod non bene expressum sit quod de Exercitiis ipse procurabat<sup>63</sup>.

Anno 1547 mediante, ad FRANCISCUM BORGIAM notum fit Exercitia iam examinata, approbata multumque laudata esse a cardinali Burgensi; cum autem decanus ROCA regressus fuerit, Exercitiorum approbationem amplioresque gratias pro iis qui cum aliquo de Societate confiterentur esse procurandas promittitur<sup>64</sup>.

Quae etiam, die 27 decembris 1547, FRANCISCUS BORGIA commemorat, cum scriberet se multa DIDACO SÁNCHEZ commisisse, ut quae sunt circa Exercitia, etc.<sup>65</sup>.

Equidem, in illo documento ad DIDACUM SÁNCHEZ haec tertio loco proponuntur:

<sup>59</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 136, p. 420s.

<sup>60</sup> *Ibid.*, doc. 147, p. 448.

<sup>61</sup> MHSI 63, *Constitutiones*, I, pp. cclv, 316.

<sup>62</sup> MHSI 12, *Epistolae mixtae*, I, doc. 104, p. 350.

<sup>63</sup> MHSI 35, *S. Franciscus Borgia*, III, doc. 19, p. 24s.

<sup>64</sup> *Ibid.*, doc. 177, p. 530.

<sup>65</sup> MHSI 23, *S. Franciscus Borgia*, II, doc. 240, p. 537.

«3<sup>o</sup> Explicetur S.D.N. esse in Societate Jesu Exercitia quaedam spiritualia, quibus magna deuotione dux afficitur, e quibus dux ipse et alii quamplurimi insignem fructum spirituales acceperunt in Domino. Supplicare Sanctitati Suae ducem, quo maior prouentus et uberior ex dictis Exercitiis capiatur, ut committat illa examinanda et iudicanda magistro sacri palatii, qui (si ita visum fuerit in Domino), apostolica auctoritate ea approbet et confirmet, ut praeterea approbatis aliquas gratias et indulgentias apostolica indulgentia et auctoritate impertiatur»<sup>66</sup>.

Quinque post menses, in litteris die 4 maii 1548, FRANCISCUS BORGIA iterum de approbatione Exercitiorum mentionem facit<sup>67</sup>.

Tandem, PAULUS III die 31 iulii 1548 Brevem *Pastoralis officii* publici iuris fecit, quo, instante FRANCISCO BORGIA, Exercitia approbat eaque peragenda omnibus fidelibus commendat; sed indulgentiam, quam BORGIA postulaverat, non concessit; illud privilegium praeter ius, indulgentiam nempe a peragentibus exercitia lucranda, tandem Societati ALEXANDER VII, die 12 octobris 1657, per Brevem CUM SICUT, concessit.

#### 10. PRIMI GRESSUS AD PROCURANDAM BULLAM «MARE MAGNUM».

Binis in litteris ad NICOLAUM LANCELOTTI, diebus 20 et 22 novembris 1547, pernecessariam esse in remotis regionibus Indiarum orientalium facultatem absolendi in casibus reservatis in bula *In coena Domini* POLANCO agnoverat; en eius verba:

<sup>66</sup> MHSI 35, S. *Franciscus Borgia*, III, doc. 21, p. 28s.

<sup>67</sup> MHSI 23, S. *Franciscus Borgia*, II, doc. 246, p. 549.



*«Quod vero eis pernecessariam tibi videri facultatem absoluendi a casibus reservatis in bulla cene Domini, et nobis id ipsum videtur, et curabitur ut facultas obtineatur, licet nondum sit attentatum; commodius tamen proul dubio id fiet, si aliquis a vobis ad nos mittatur, qui ea, quae pernecessaria istis in regionibus sunt, norit exponere»<sup>68</sup>.*

Ut ergo ampliores facultates obtinerentur ad influxum FRANCISCI BORGIA adeundum fuit. POLANCO in litteris ad ANDREAM DE OVIEDO, qui Gandia degebat, 24 novembris 1547, exposuit id demandari a BORGIA ut iterum concedantur, amplioresque fiant facultates quas Societas in Bullis et Brevibus iam obtinuit, ut verbi gratia numerus coadiutorum liber fieret, cum quibus praepositus gratias et facultates communicare valeret, etc.<sup>69</sup>.

Proponitur etiam ut haec gratia obtineatur qua praeposito liceret iis qui sub eius oboedientia sunt facultatem dare qua extra tempora, tribus diebus dominicis vel festis, a quovis antistite, ordines suscipere possent; quod quidem in Brevi de coadiutoribus concessum erat, sed non erat declaratum id fieri posse extra tempora et a quovis antistite<sup>70</sup>.

Id tandem addit visum sibi expedire ut pro Societate «*mare magnum*» obtineretur, quod aliae religiones habent, ubi multa includerentur, quae ad maius proximorum servitium opus sunt; oportere tamen ut haec alii supplicarent, non autem ii qui Romae sunt<sup>71</sup>.

Die vero 27 decembris 1547 FRANCISCUS BORGIA certiore Ignatium fecit se DIDACO SÁNCHEZ, quem

<sup>68</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 229, p. 647.

<sup>69</sup> MHSI 22, *Epistolae S. Ignatii*, I, doc. 232, p. 652s.

<sup>70</sup> *Ibid.*

<sup>71</sup> *Ibid.*

Romam miserat, illud «*Mare magnum*» obtinendum enixe commendasse<sup>72</sup>. Hoc eodem die documentum ad DIDACUM SÁNCHEZ datum est, ubi haec:

«*Primo. Dicatur quod Illmus. dux Gandiae, aduertens Societatem Jesu (quae a Sua Sanctitate erecta et sedis apostolicae ministerio dedicata omnino est), ad sui conseruationem et augmentum, et animarum, quibus iuuandis ex instituto suo vacat, auxilium, gratiis et priuilegiis sedis apostolicae indigere, supplicare destinauerat Sanctitati Suae, vt gratias, quae “Mare magnum” dicuntur, eidem Societati concederet, vel eas, quae iuuare videbuntur ex “Mari magno” vel aliis, et id committat Guidacioni, cui cura primum commissae est Societatis uisendae.*

2º. *Quia tamen ea Societatis mens est, vt alias gratias vel priuilegia habere nolit, quam quae ad eius institutum proximi iuuandi sint opportuna; et cum in “Mari magno” sint nonnulla, quae parum ad id conferre valeant, supplicatur ex parte ducis Sanctitati Suae, vt alicui cardinalium, vel alii aliisue, quibus visum erit, committere dignetur, vt ex “Mari magno” et aliis etiam gratiis, ordinibus mendicantium concessis, eas, quae ad ipsius conseruationem et augmentum ac Dei honorem et animarum auxilium esse iudicabunt, predictae Societati applicet, et iuxta eius instituti rationem accomodet, quod ipsum Sanctitas eius postea ratum habeat, et apostolica auctoritate confirmet»<sup>73</sup>.*

Postea vero, die 4 maii 1548, Borgia notum fecit litteras circa mare magnum iam misisse<sup>74</sup>. Tamen, bullae expeditio in dies dilata est; in litteris enim 12 ianuarii 1549 mare magnum caeteraeque gratiae etiam tunc procurari dicuntur<sup>75</sup>.

<sup>72</sup> MHSI 23, *S. Franciscus Borgia*, II, doc. 240, p. 537.

<sup>73</sup> MHSI 35, *S. Franciscus Borgia*, III, doc. 21, p. 28.

<sup>74</sup> MHSI 23, *S. Franciscus Borgia*, II, doc. 246, p. 549.

<sup>75</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 538, p. 302.

11. BULLA «MARE MAGNUM», *Licet debitum*, ANNO 1549

Tandem, die 18 octobris 1549, publici iuris facta est Bulla *Licet debitum*<sup>76</sup>, «Mare magnum», quae facultates ad illud tempus obtentas confirmabat, easque ampliores faciebat.

Prae primis IGNATIO eiusque succesoribus generalibus praepositis conceditur ut indultum viginti coadiutores admittendi extendere valeant «*ad alios quoscumque, quos idoneos fore censuerit, sub eorum oboedientia degentes*»; iisque omnibus omnes gratias Societati concessas communicare valeant [23]. Itaque, privilegium confirmat et amplius facit, quo praepositus generalis Societatis iis, qui Professi in ordine religioso non erant, gratias quae Professis concedi solitae erant, communicare valebat.

Denuo gratias omnes Societati concessas confirmat:

*«omnia et singula gratias, immunitates, concessiones, priuilegia et indulta antea per nos eidem Societati et illius sociis et personis quomodolibet concessa, quae hic pro specificatis haberi volumus, approbantes, innouantes et confirmantes»* [22a]:

Scilicet, omnia privilegia cuiuscumque generis ad illud tempus obtenta, sive per documenta, sive per vivae vocis oracula, plene confirmat.

Praeter hanc generalem omnium privilegiorum confirmationem, in Bulla tria ex antea concessis privilegiis speciatim referuntur:

(1) «*omnes [...] Christifideles, [...] qui verbi Dei*

---

<sup>76</sup> *Institutum Societatis Iesu*, I, Florentiae 1892, pp. 13-21.

*concionibus [...] fratrum Societatis [...] interfuerint, diebus huiusmodi missas et alia diuina officia audire, et ecclesiastica sacramenta ibidem recipere libere et licite valeant, nec ad id ad proprias parrochiales ecclesias accedere teneantur» [10],*

*(2) «quocumque anni tempore, praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis dominicae, et mortis articulo, nisi necessitas urgeret, eorundem fidelium parrochialium, ecclesiarum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valeant» omnes fideles sacramentum Eucharistiae, «quod in suis ecclesiis decenter tenere Socios praefatos volumus» [18].*

*(3) «uniuersis utriusque sexus Christifidelibus, vt cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita» [17].*

E contra, expressam mentionem non fecit sex horum privilegiorum: facultates nempe (1) ad praedicandum ubique terrarum; (2) ad absolvendos casus et ad commutanda vota, exceptis iis quae in Bulla *In coena Domini* continebantur; (3) ad missas celebrandas ante lucem et post meridiem, (4) ad novum breuiarium recitandum; (5) ad horas canonicas anticipandas; (6) ad libros prohibitos legendos.

Concessit etiam ea privilegia, quae in litteris priori anno datis necessaria censebantur:

*(1) ut possit Praepositus generalis «ordinandos socios [...] Societatis quibuscumque maluerit catholicis Antistibus, [...] praesentare, ipsisque Antistibus praesentatos huiusmodi [...] ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promovere» [11];*

*(2) ut «cum aliquos ex fratribus [...] Societatis [...] in infidelium terras [...] remotissimas, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis autoritate nostra facultatem concedere, ut Christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita et poenitentia salutare iniuncta, eos [...] ab omnibus et singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Coenae Domini reseruatis, et a consequentibus censuris et poenis absolvere» [21].*

Longum esset caetera omnia enumerare privilegia quae in hoc «Mari magno» Societati tunc primum conceduntur; magna eorum pars desumpta est, etiam ad litteram, ex bulla «Mare magnum» SIXTI IV, anno 1474, ad fratres minores, per quam rursus privilegia, quae eis CLEMENS IV, anno 1265, largitus erat, ampliora fiebant<sup>77</sup>.

In favorem *sociorum Societatis*, praeter privilegium, de quo antea, quo Superior generalis valet

- (1) litteras dimissoriales subditis concedere ut eis ordines a quibusbet episcopis, communionem cum Sede Apostolica habentibus, suscipere liceat [11],

in hac Bulla concessum etiam est *Praeposito Generali* facultas qua:

- (2) lectores theologiae ubilibet deputare valeret.

Omnibus autem *Superioribus* concessa est in Bulla facultas:

- (3) absolvendi subditos a quibuscumque peccatis ac quibusbet poenis,

(4) eos dispensandi ab irregularitate proveniente ex divinis officiis in locis interdicto subiectis celebratis; exceptis tantummodo casus Sedi Apostolicae reservatis, quos Sixtus IV, in Bulla «Mare magnum» enumerat, scilicet, casus haeresis, relapsorum, schismaticorum, falsificatorum litterarum apostolicarum, eorumque qui infidelium ea tradunt, quae eis prohibita sunt [4]; tamen, nisi in Societatem ingressi sint, qui has absolutiones receperint, denuo in easdem relabantur [5].

- (5) dispensandi ab irregularitatibus, quibus subditi impedirentur ne ordines aut quaecumque officia Societatis

---

<sup>77</sup> Confer notulas in: MHSI 63, *Constitutiones*, I, pp. 357-368.

susciperent, aut suscepta exercerent, iis exceptis irregularitatibus quae ex homicidio voluntario, bigamia, aut membrorum mutilatione proveniant [16].

Omnibus vero *sociis Societatis directe* concessit ut:

- (6) oratorium, ubicumque residerent, haberent,
- (7) in altari portatili celebrarent, etiam in tempore interdicti, debitis adhibitis cautelis, et
- (8) sacramenta famulis administrarent, eosque in eorum coemeteriis sepelirent [8a];
- (9) quaelibet eorum fundatio domiciliorum, etc., sicut ab auctoritate apostolica facta habeatur, iubentur autem praelati ne eiusmodi foundationes impedian;
- (10) cuilibet episcopo ecclesias eorum et coemeteria benedicere aut consecrare liceret [15];
- (11) in excommunicatorum, haeticorum uel schismaticorum vel infidelium terris libere commorari et cum eisdem conversari liceret [12].

Omnes autem, non tantum Professi sed etiam Coadiutores et Scholastici — qui quidem vota publica religiosa tunc non emittebant — prohibentur ne ad quemvis alium ordinem religiosum, praeter Carthusiensium, sine licentia Praepositi Generalis aut Sanctae Sedis transeant; Superioribus autem concedit ut eos, aliosve apostatas, excommunicare, capere, incarcerare valeant, auxilium brachii saecularis etiam invocantes [6].

In favorem *omnium christifidelium* in hac Bulla concessa sunt:

- (1) praeter libertatem confitendi cum iis qui de Societate sunt, ab eis in eorum ecclesiis Eucharistiam accipiendi, ut antea dictum est.
- (2) indulgentia plenaria semel in anno lucranda, exceptis annis Iubilei, si sub certis conditionibus ecclesiam aut locum pium Societatis visitent;

(3) indulgentia septem annorum et septem quadragenarum in certis quibusdam anni diebus [19, 20].

*Multae etiam concessa sunt Societati exemptiones:*

(1) personarum et bonorum Societatis, quae sub Sanctae Sedis protectione suscipiuntur, exemptio ab omnibus ordinariis [7];

(2) immunitas a poenis in terris quibuscumque inflictis omnium familiarium, procuratorum, etc., Societatis ibi residentium, nisi ipsi causam dederint, aut specialiter damnati fuerint [8b]

(3) irritatio cuiuscumque poenae in aliquem Societatis, aut alius propter eam, inflictae, reservata Sedi Apostolicae horum privilegiorum interpretatione [9];

(4) exemptio a decimis aliisque eiusmodi tributis ecclesiasticis solvendis, nisi expresse ea Sedes Apostolica imposuisset [14];

(5) exemptio a ministeriis, quae praelati ecclesiastici expossant; quod si ad ea mittantur,

(6) superiores possunt revocare eosdem a missione, etiamsi ad praedicandam crucem, vel ad inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia similia negotia deputati fuerint;

(7) in his etiam missionibus sub potestate superiorum Societatis permanent [3];

(8) socii Societatis liberi fiunt ab officiis visitorum monasteriorum aut ecclesiarum, ab interventu in causis poenarum, a cura pastoralis religiosarum, nisi expresse id litteris apostolicis imponatur [13].

*Iis vero qui in terris infidelium aut valde remotis resident Praepositus Generalis concedere valet, prae-ter facultates, quas supra memoravimus, nempe,*

(1) absolvere in confessione peccata et

(2) poenas reservatas in bulla In coena Domini, has alias facultates:

(3) impedimenta iuris ecclesiastici, quibus matrimonia

ad infidelibus ante conversionem contracta afficiuntur, dispensare;

(4) ecclesias, hospitalia et pia loca erigere, eorumque statuta condere et mutare;

(5) sacram suppellectilem benedicere;

(6) coemeteria etiam benedicere, si episcopus catholicus inibi desit;

(7) profanatas ecclesias reconciliare;

(8) bis eodem die missam celebrare diuersis in locis [21].

Praeterea Mare magnum quasdam normas continet, quae *ius proprium* Societatis determinarunt; scilicet:

(1) auctoritas Praepositi Generalis, quae sit, (2) eius ab officio remotio, (3) eiusque facultas ad «missiones» conferendas, etiam inter infideles, et ad revocandum ab eis; (4) prohibitio ne quis socius dignitates ecclesiasticas sine expresso Generalis consensu acceptet, (5) et incapacitas ad eas admittendas eius qui eas ambierit; (6) vetitum ne appellatio, etc., contra disciplinam admittatur [3a]; (7) obligatio peccata confitendi proprio superiori, aut confessario ab eodem designato, nisi superior confessarium eligendum concesserit [5b]; (8) electio Provincialis, in locum demortui, in remotis regionibus, dum Generalis providerit [21]; (9) ut professionem non tantum Romae, sed alibi, cum licentia Praepositi Generalis emittere liceret [22b].

## 12. COMMUNICATIO GRATIARUM BULLAE «MARE MAGNUM»

Ut primum IGNATIUS Bullam *Licet debitum* accepit, die 23 octobri 1549, gratias et facultates FRANCISCO XAVERIO communicavit:

*«omnes eas gratias et auctoritatem, quam nobis sedes apostolica quomodocumque communicavit, et nos communicare possumus (duabus dumtaxat, scilicet indulgentia plenaria*



*semel in anno concedenda, et admissione ad professionem exceptis) communicamus»,*

eidemque facultatem etiam eas aliis, subditis, communicandi concessit<sup>78</sup>.

SIMONI vero RODRÍGUES, die 24 decembri, summarium Bullae missum est<sup>79</sup>; exeunte autem mense MICHAELI TORRES, Salmanticae, summarium Bullae eiusque trasumptum authenticum missa sunt, quae ad ARAOZ, et ad Lusitaniam<sup>80</sup> mitteret; ANTONIO vero ARAOZ concessum est ut comunicet gratias iis quos aptos iudicaret, sed monetur ut in archiepiscopatu Toletano speciatim, illis moderate utendum est<sup>81</sup>.

IOANNES B. VIOLA, Parisiis, die 17 ianuarii 1550, de Bulla edocetur, eique summarium missum est<sup>82</sup>; in litteris, Ingolstadt, die 1 februarii eiusdem anni 1550, notum fit summarium missum esse<sup>83</sup>; FRANCISCO BORGIAE, die 8 februario, mittitur summarium gratiarum, ex quibus MTRO. ANDRÉS aliisque eas quas opportunum iudicaret comunicet<sup>84</sup>; IACOBO LAÍNEZ, Panormiae, die 22 februarii, missa est bulla authentica gratiarum<sup>85</sup>; alia etiam ALPHOSO SALMERÓN mittenda promittitur<sup>86</sup> quae quidem, exeunte martio, ad eos qui ibi residebant, missa est<sup>87</sup>.

---

<sup>78</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 920, p. 579.

<sup>79</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 971, p. 618.

<sup>80</sup> *Ibid.*, doc. 977, p. 622.

<sup>81</sup> *Ibid.*, doc. 980, p. 624.

<sup>82</sup> *Ibid.*, doc. 1019, p. 656.

<sup>83</sup> *Ibid.*, doc. 1034, p. 668.

<sup>84</sup> *Ibid.*, doc. 1049, p. 678.

<sup>85</sup> *Ibid.*, doc. 1065, p. 688.

<sup>86</sup> *Ibid.*, doc. 1071, p. 690.

<sup>87</sup> *Ibid.*, doc. 1119, p. 716.

Cum multis aliis deinceps eadem gratiae communicatae sunt.

13. VIVAE VOCIS ORACULO FACULTATES ET GRATIAE DURANTE IUBILAEIO ANNO 1550 CONFIRMATAE SUNT

MICHAEL TORRES, anno 1550, cum iubilaeum celebraretur, dubium suscitavit an hoc tempore gratiae suspenderentur; responsum est ei mense martio, NADAL, cum vidisset Bullam, omne scrupulum superasse, immo eum censere numquam clausulis generalibus gratias Societati concessas revocatum iri<sup>88</sup>; deinde vero, die 5 iunii, notum ei fit a Sua Sanctitate impetratam esse confirmationem omnium gratiarum, Societati a Sede Apostolica concessarum, utque Societas illis uti valeret in bonum animarum etiam durante anno sancto<sup>89</sup>.

Equidem, IULIUS III, ut in testimonio die 12 martii 1550 a IOANNE MORONE, cardinali, confecto legitur,

*«omnes et singulas facultates, gratias et concessionem, per sedem apostolicam Societati nostrae hactenus concessas, confirmavit, et ut eisdem uti, etiam in anno iubilaei, ad animarum auxilium, possetis, vivae vocis oraculo desuper facto auctoritate apostolica concessit»*<sup>90</sup>.

<sup>88</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 1078, p. 696.

<sup>89</sup> MHSI 28, *Epistolae S. Ignatii*, III, doc. 1213, p. 67.

<sup>90</sup> MHSI 42, *Epistolae S. Ignatii*, XII, Appendix tertia, doc. 26, p. 400.

#### 14. VIVAE VOCIS ORACULUM IULII III, A SALMERON OBTENTUM

POLANCO in litteris 9 maio 1551 ad IACOBUM LAÍNEZ, audientiam narrat, quam IULIUS III ALPHONSO SALMERON ea ipsa hebdomada concesserat<sup>91</sup>, de qua testimonium exstat AMBROSII CATHARINI, episcopi Minorensis<sup>92</sup>.

In illa audientia, die 6 maio, in pervigilio Ascensionis Domini 1551 IULIUS III ALPHONSO SALMERON humiliter ad pedes provoluto concessit haec tria:

1. Ut M. IGNATIUS, sive Praepositus pro tempore existens Societatis Iesu, per se aut per alios sacerdotes, quos ille idoneos iudicaverit, casus ad haeresim pertinentes absolvere valeret, in foro conscientiae tantum;

2. Ut etiam valeret, per se vel per alios e Societate, dispensare a ieiunio et a ciborum prohibitione eos qui sub eius oboedientia versentur, quos ob infirmitatem iudicet nec ad ieiunandum nec ad abstinentiae legem servandam obligari;

3. Ut cardinali CARPENSI, protectori Societatis, adiungatur cardinalis VERALLO, qui gratias spirituales diiudicet, quibus Societas ad maius Dei servitium egere videatur.

Duo ex iis nova sunt privilegia contra ius: absolute ab haeresi, cuius delicti absolutio reservata erat, et dispensare ab abstinentia et ieiunio, id est ab aliqua lege generali Ecclesiae.

Huius autem IULII III concessionis POLANCO men-

---

<sup>91</sup> *Ibid.*, doc. 1791, p. 458. SALMERÓN anno 1548 sibi obtinuerat facultatem absolvendi haereticos, qui ad oboedientiam Ecclesiae redire voluissent; quod viceinquisitor Bononiensis aegre tulit; Confer.: MHSI 24, *Epistolae Broët* ..., doc. 11, p. 43.

<sup>92</sup> MHSI 115, *Fontes documentales*, doc. 136, p. 683s.

tionem facit in litteris die 1 iunii 1551 ad FRANCISCUM VILLANUEVA, Compluti degentem<sup>93</sup>.

In litteris vero POLANCO ad LAÍNEZ, die 9 maii 1551, de quibus antea, hae duae facultates Superioribus provincialibus et localibus communicantur; immo, eadem facultates eodem mense plurimis Superioribus communicatae sunt<sup>94</sup>.

Nonnulli tamen deinde abusus in concedendis his facultatibus irrepserunt; ideo IOANNES BLET, Genuae, in litteris 20 iunii 1555 reprehenditur eo quod diceret se a Mtro. EVERARDO recepisse facultatem absolvendi ab omnibus casibus in bulla In Coena Domini reservatis; quod quidem falsum erat, cum solus P. Generalis communicare valeret facultatem absolvendi, et quidem tantum in casu haeresis, non in aliis casibus<sup>95</sup>.

POLANCO autem in litteris 20 iulii 1552 ad ADRIAENSENS, in quibus URSMARO GOISSONIUS et QUINTINO CHARLAT privilegia Societatis concedebantur «*in foro conscientiae*», haec verba sic interpretatur:

*«quod perinde est ac si dicerem, sine patentibus litteris, quae offendi possint, easdem eis facultates concedi; sed illi poterunt et in confessionibus audiendis et in aliis piis functionibus Societati consuetis vti publice et priuatim. Nam to «in foro conscientiae» ad modum concedendi, non ad executionem gratiarum concessarum, pertinet»*<sup>96</sup>.

<sup>93</sup> MHSI 28, *Epistolae S. Ignatii*, III, doc. 1858, p. 518.

<sup>94</sup> *Ibid.*, pp. 467, 475, 477, 479, 489, 505, 518, 521, etc.

<sup>95</sup> MHSI 37, *Epistolae S. Ignatii*, IX, doc. 5477, p. 231s.

<sup>96</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 2742, p. 331.

## 15. ALIUD VIVAE VOCIS ORACULUM AB IGNATIO OBTENTUM

Die 1 decembris 1551 LUDOVICO GONZALVES et LUDOVICO GRANA, MICHAËLI TORRES et FRANCISCO VILLANUEVA, ea gratia communicata est qua in qualibet Missa animam purgatorii liberare valerent<sup>97</sup>.

Quod quidem aliud praeter ius privilegium est, ab ipso IGNATIO in audientia IULII III obtentum; etenim, in litteris 1 februarii 1552 IGNATIUS cum FRANCISCO XAVERIO eisque, qui sub eius auctoritate aliquod munus in Indiarum provinciis gerebant, communicavit facultatem educendi animam, toties quoties Missam celebraret, quod ei IULIUS III concesserat<sup>98</sup>.

Ex verbis quibus primum hoc privilegium communicatum est patet audientiam ante mensem decembris anni 1551 locum habuisse.

Cum aliis etiam IGNATIUS hanc gratiam communicavit; in litteris 23 ianuarii 1554 ad ADRIANUM ADRIAENSIS haec habentur:

*«Pater noster, dominus Ignatius, concedit V.R. gratiam (quam summus pontifex communicandam ei tradidit) animam liberandi a purgatorio quotiescumque missam celebrabit. Optime enim collocandam huiusmodi facultatem in V.R. existimat»*<sup>99</sup>.

Quod etiam privilegium BALTASARI DÍAZ in litteris ad HIERONYMUM DOMENECH confertur<sup>100</sup>; idemque

---

<sup>97</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 2231, 2234, 2236, pp. 14, 16, 17.

<sup>98</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 2385, p. 129.

<sup>99</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, doc. 4101, p. 236s.

<sup>100</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 2246, p. 23.

die 3 februarii PETRO TABLARES, Compluti, cum procurator collegii et templi romani constituitur<sup>101</sup>; postea vero haec concessio quandoque fit<sup>102</sup>.

16. BREVIS *Sacrae religionis* IULII III, 22 OCTOBRIS 1552

IULIUS III in hoc Brevi in primis confirmat «*omnia et singula, litteras, facultates, indulgentias etiam plenarias, concessiones, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, priuilegia et indulta*» usque illuc a PAULO III aut ab eo ipso quoquo modo concessa.

Meminit deinde facultates Praepositi Generalis, quam iste cum Professis Societatis communicare valet (1) ad dispensandum a ieiunio et abstinencia personas Societatis, et (2) ad absolvendum in casibus haeresis aliisque contra fidem, et a quibuscumque subsequen- tibus censuris, et ad dispensandum ab eis «*in foro conscientiae*» si opus fuerit; id est, expresse confirmat facultates vivae vocis oraculi obtentas per SALMERÓN anno 1551.

Posteaquam vero clausulis consuetis haec privile- gia in futurum firmavit, alias facultates Praeposito Generali concessit, quas cum aliis e Societate commu- nicare valeret:

1º: facultatem anteponendi et postponendi horas cano- nicas, et quidem sic ampliorem factam, ut earum recitatio Missae celebrationi antepone- re liceret.

2º: facultatem horarum canonicarum recitationem in-

<sup>101</sup> *Ibid.*, doc. 2416, p. 152.

<sup>102</sup> Confer: MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, pp. 39, 236; MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4621, p. 272.

firmis in alia pia opera aut leviolem orationem commutandi.

3º: facultatem promovendi in collegiis Societatis eorum alumnos ad gradus bachalaureatus, Magisterii, Licentiatursae ac Doctoratus, cum omnibus iuribus et privilegiis, dummodo cursus et examina in Universitatibus aut in eorum collegiis, prout casus ferat, absolverint.

4º: facultatem qua superiores locales gratias aliis Societatis professis communicare valerent, praesertim in Indiis aliisque remotis regionibus.

Haec omnia, ut patet, privilegia praeter ius habenda sunt.

Aliud tandem privilegium contra ius particulare Societatis adiunxit, quo religiosi senibus et infirmis, etiam Professis, in collegiis residere liceret, eorumque redditibus sustentari.

POLANCO in litteris 5 decembris 1552, cum de Brevi nuper obtento ageret, illum continere gratias extraordinarias censet<sup>103</sup>. Hoc autem mense decembri transcriptiones huius Brevis ad multos missae sunt<sup>104</sup>.

## 17. COMMUNICATIO FACULTATUM HUIUS BREVIS, 1552

Notandum est gratias huius Brevis cum Professis tantum Societatis communicari posse; ergo illae restrictiori modo, quam in vivae vocis oraculo, in hoc Brevi concessae sunt. POLANCO in litteris 3 iunii 1553 ad FRANCISCUM RODRÍGUES haec explicuit, idemque

---

<sup>103</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 3064, p. 536. POLANCO compendium omnium privilegiorum per hunc Brevem concessorum in suis scriptis, Chronicon, fecit. Vide: MHSI 3, *Chronicon Societatis Iesu*, II, n. 20, p. 426.

<sup>104</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, pp. 551, 554-556, 574, 576-577.

propositum notum fecit obtinendi ut cum aliis pluribus hae gratiae communicari possint<sup>105</sup>.

Nonnumquam amplior fuit, quam par erat, communicatio horum privilegiorum; nonnullis mirum visum est maximam facultatum partem cum Professis tantum communicare licere; ut IACOBO MIRÓN, qui interpretationem latam verbi «Professos» proponebat.

POLANCO vero in litteris ad eum, die 12 iunii 1553, aliquam normam statuit circa gratiarum harum communicationem, eique clare indicavit cum quibus gratiae Brevis communicari possent: facultas ordinaria absolvendi in casibus haeresis uni in singulis locis concedatur, qui alium confessarium sibi substituere valeat; caeterum perperam ille verbum «Professi» interpretatus est, cum gratiae illae per Brevem ad eos qui vere sunt Professi tantum concessae sint; tamen, gratiae per vivae vocis oracula concessae, ad eos omnes qui sub oboedientiae Societatis sunt, extenduntur<sup>106</sup>.

Qui autem sub oboedientia Societatis essent late intellectum erat; sic ad ADRIAENSIS die 21 augusti 1554 scriptum est:

*«Quod V.R. petit, an conferri possint Societatis priuilegia ei, qui ad iter non se parat propter matris senectutem, breuiter respondeo non referre ad communicationem priuilegiorum magnopere num domi sit, an extra domum uestram, cui priuilegia communicantur. Illud uero refert, sitne sub oboedientia Societatis necne; uinculum enim oboedientiae, uoto praesertim firmatae, membra connectit capiti ad influxum gratiarum excipiendum. Erit ergo V. Rtiae. uidere an, quod licet, expediat in JORDANO. Mihi tamen periculo-*

<sup>105</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3439, p. 89.

<sup>106</sup> *Ibid.*, doc. 3470, p. 122.



*sum uideretur, ut plurimum, absentibus, necdum uoto stabilitis, facultates Societatis concedere: non esset tamen illicitum, si sub sua obedientia quis esset, ac velut in probatione»<sup>107</sup>.*

Ut autem conflictus vitarentur, pluries commendatum est, ne his gratiis uterentur socii, renuentibus episcopis; episcopus quidem Modenensis, ut videtur, censebat eius privilegia Societatis privilegiis praevalere. Ideo, in litteris ad IOANNEM B. VIOLAM, die 18 novembri 1553, primum affirmatur gratias Societati cum his clausulis esse concessas, ex quibus revocationi non subsunt, nisi «de verbo ad verbum» de his mentio expressa fieret, quod praeterea Breves nuper obtenti confirmarunt, sed statim subiungitur IGNATIUM velle earum usum, etiam in casibus papalibus, submittere episcopi Mutinensis arbitrio<sup>108</sup>.

Quod quidem brevius in litteris 2 decembris 1553 ad eundem VIOLA iterum scriptum est<sup>109</sup>.

## 18. INTERPRETATIO QUORUNDAM HORUM PRIVILEGIORUM

### a) *dispensatio a ieiunio et cibis prohibitis*

Primum privilegium, ad dispensandum a ieiunio et cibis prohibitis, clare refertur ad eos tantum qui Societatis sunt. In litteris ad PHILIPPUM LEERNO, 29 decembri 1554, explicatur eos dispensari non posse qui oboedientiae Societatis non subsunt; quoad extraneos vero interpretari posse, cum multis confessariis,

<sup>107</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4724, p. 432.

<sup>108</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3914, p. 702.

<sup>109</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, doc. 3957, p. 15.

eam esse Ecclesiae mentem eos non obligari ad hanc legem servandam in certis casibus, praesertim si iudicium medicorum concurrat<sup>110</sup>.

b) *absolutio ab haeresi*

Privilegium absolvendi in casibus haeresis aliisque contra fidem ampliori aut strictiori modo ex verbis, quae in Brevi exstant, intelligi potest.

Etenim, in editione taurinensi Bullarii Romani, invenimus verba: «*ac Societatem ipsam Professos quoscumque a casibus haeresis [...] absolvendi*»<sup>111</sup>; videntur ergo ii tantum, qui Professi Societatis sunt, absolvi posse; tamen, in editione florentina documentorum, *Institutum Societatis Iesu*, haec sunt verba: «*ac quoscumque a casibus haeresis [...] absolvendi*»<sup>112</sup>: omnes, ergo, non tantum eos, qui Professi sint Societatis. Haec eadem verba inveniuntur in libro, anno 1606 edito, *Litterae Apostolicae*, Romae, in Collegio Romano<sup>113</sup>.

Favet strictiori horum verborum interpretationi, quae in Bullario Taurinensi invenitur, comparatio cum gratia quae prius in eodem Brevi conceditur, quandoquidem facultas dispensandi a ieiunio et abstinentia ad solos socios Societatis refertur. Attamen,

<sup>110</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 5052, p. 205.

<sup>111</sup> *Bullarium diplomatum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum Taurinensis editio*, tomus VI, Augusta Taurinorum, MDCCCLX, p. 465.

<sup>112</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. I, Florentiae, 1892, p. 28.

<sup>113</sup> *Litterae Apostolicae, quibus institutio, confirmatio, et varia privilegia continentur Societ. IESV*. Romae, In Collegio Rom. eiusdem Societat. Anno Dni MDCVI, p. 66.

verba illa, prout in editione documentorum, *Institutum Societatis Iesu*, leguntur, ad eosdem referuntur, ad quos vivae vocis oraculum per SALMERÓN a IULIO III obtentum referebantur.

Iam vero, hoc ipsum privilegium, vivae vocis oraculum prius obtentum, ampliori modo POLANCO et IGNATIUS interpretati erant.

Ampliolem hanc interpretationem, quoad privilegium vivae vocis oraculo prius obtentum, proposuerat POLANCO in litteris ad LAÍNEZ, 9 maii 1551, de quibus antea dictum est. Sic etiam IGNATIUS vivae vocis oraculum interpretatus est, cum hoc privilegium aliis Societatis communicaverit his verbis: «*hanc etiam absoluendi a quibusvis casibus ad heresim pertinentibus, in foro conscientiae tantum, tibi [...] conferimus*»<sup>114</sup>. Immo, POLANCO in litteris ad FRANCISCUM PALMIO, 5 martii 1553, eodem latiori modo privilegium breviter exponit<sup>115</sup>.

Rursus, cum BERNARDO OLIVERIO, 6 augusti 1553, gratiae conferentur, facultas «*absoluendi a quibusvis casibus ad haeresim pertinentibus*» aliter exprimitur quam facultas «*dispensandi cum subditis circa cibos et ieiunia*»<sup>116</sup>: primum privilegium non restrictum ad subditos, alterum vero ad eos restrictum proponitur.

Usus huius privilegii absolvendi in casibus haereticis difficultates alicubi cum Inquisitione movit; quare, IGNATIUS, die 11 aprili 1553 superiores in Hispania iubet ne sacerdotes Societatis illic, propter certam debitam reverentiam, utantur hoc privilegio absolven-

---

<sup>114</sup> MHSI 28, *Epistolae S. Ignatii*, III, doc. 1820, 1822, pp. 475, 479.

<sup>115</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 3273, p. 657.

<sup>116</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3625, p. 302.

di in foro conscientiae in casibus haeresis, licet utentur caeteris privilegiis<sup>117</sup>.

Haec debita reverentia iudicibus Inquisitionis habebatur «*nam aegre ferre Inquisitores videbantur aliis quam ipsis facultatem eam concedi*», ut anno 1551 POLANCO in libro *Chronicon* scripserat<sup>118</sup>.

Cur autem IGNATIUS hanc facultatem sic restrinxisset, PETRO DE TABLARES, 6 ianuarii 1555 clare explicatum est: id potissimum intendebatur ne inquisitores graviter ferrent «*quod mitteremus falcem in eorum messem*»<sup>119</sup>; causa eiusmodi restrictionis in litteris ad BORGIA, die 10 iunii 1555, iterum explicatur<sup>120</sup>.

In Italia tamen nihil impedire videbatur ne hoc privilegio Societas in foro conscientiae uteretur, prout ex litteris ad IOANNEM PELLETIER, Ferrariam, 7 iunii 1556, colligi potest<sup>121</sup>.

IGNATIUS tamen hanc restrictionem in utendo privilegio absolvendi haereticos iudicio FRANCISCI BORGIA, Commissarii<sup>122</sup>, Provincialiumque trium in Hispania<sup>123</sup> per litteras 3 ianuario 1555 reliquit.

Provinciales autem liberales in concedenda hac facultate minime fuerunt; equidem MICHAËL TORRES, Lisboa, die 4 novembri 1555, hanc IGNATII communicationem ad Provinciales ignorabat<sup>124</sup>.

Ratio etiam habenda erat de foro externo in his

<sup>117</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3314, p. 9.

<sup>118</sup> MHSI 3, *Chronicon Societatis Jesu*, II, n. 390, p. 354.

<sup>119</sup> MHSI 36, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 5138, p. 341.

<sup>120</sup> MHSI 37, *Epistolae S. Ignatii*, IX, doc. 5422, p. 133.

<sup>121</sup> MHSI 40, *Epistolae S. Ignatii*, XI, doc. 6550, p. 505.

<sup>122</sup> MHSI 36, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 5069, p. 237s.

<sup>123</sup> *Ibid.*, doc. 5069, p. 236s.

<sup>124</sup> MHSI 20, *Epistolae mixtae*, 5, doc. 1060, p. 81.

casibus absolutionis haereticorum; quare POLANCO in litteris ad OLIVERIUM MANAREUM, 5 ianuarii 1555, oportere plerumque censet, cum haereticus publice notus est, ut ad Inquisitorem statim remittatur, in foro conscientiae non absolutus, non solum ad aedificationem maiorem, sed utpote qui absolvendus in foro externo esset<sup>125</sup>.

IGNATIUS iussit etiam ut socii usum facultatum iudicio regis PHILIPPI II accommodarent; immo, paratus erat ad hanc obligationem sociis in Hispania imponendam litteris patentibus, sigillo Societatis munitis, prout in litteris ad PETRUM RIBADENEIRA, 14 aprilis 1556, animadvertitur<sup>126</sup>.

Clausulae tandem, quibus haec facultas concessa erat, eam firmam tenebant contra quamlibet generalem derogationem, «*nisi de verbo ad verbum inserantur*»; sic ad IOANNEM DE MONTOYA, apud Lauretum, 22 februarii 1556, explicatum est<sup>127</sup>.

### c) *Absolutio ab excommunicatione «ab homine»*

NADAL a sociis in Hispania sustulerat etiam facultatem absolventi excommunicationes «ab homine» declaratas, aut si scandalum ex eiusmodi absolutione oriretur. IACOBUS MIRÓN in litteris diei 2 ianuarii 1554, Evorae datis, difficultates proponit, quae inde secutae sunt, cum nonnulli nullam excommunicationem ab homine absolvere auderent, eo quod pleraeque ad ordinarii notitiam tandem pervenire possent; ideo MIRÓN proponebat ut hac facultate Praepositus do-

<sup>125</sup> MHSI, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 5071, p. 241.

<sup>126</sup> MHSI 40, *Epistolae S. Ignatii*, XI, doc. 6372, p. 253.

<sup>127</sup> MHSI 40, *Epistolae S. Ignatii*, XI, doc. 6233, p. 40.

naretur, quam ille aliis prudenter communicare valeret<sup>128</sup>.

Quae ut aliquo modo solverentur, in litteris 3 novembris 1555 ad OLIVERIUM MANAREUM, Rectorem collegii Lauretani, proponitur ut si poenitens facit quod in ipso est, ad eius consolationem in foro interno absolvatur, licet, si nominatim excommunicatus sit, aut excommunicatio sit publica, publicam absolutio- nem procurare debeat<sup>129</sup>.

#### d) *Dispensatio ab irregularitatibus*

Quandoque etiam dubitatum est an Brevis facultatem concederet dispensandi ab irregularitatibus consequentibus delicta et peccata, quae absolvi poterant. ANDREAS DE OVIEDO, 5 martii 1553, monetur nunquam antea Societatem hoc intendisse, cum dispensatio potius quam absolutio, cum de irregularitatibus agitur, requiratur<sup>130</sup>.

Periti autem alii alia opinabantur circa hanc irregularitatum dispensationem; in litteris ad ADRIANUM ADRIAENSENS, qui de iis, in epistolis 19 et 20 iulii datis, nonnulla quaesivisset, haec responsa sunt:

*«De absolutione a suspensione et interdicto, sicut etiam ab excommunicatione, non dubium est quin sit nobis concessa [facultas] in omnibus illis casibus peccatorum, a quibus nos possumus absolvere, semper tamen intelligendo in foro conscientiae.*

*De irregularitate quibusdam videtur alia esse ratio quam de praedictis censuris, quia non utimur verbo absolvo proprie loquendo, sed verbo dispenseo. Adde quod non*

<sup>128</sup> MHSI 18, *Epistolae mixtae*, 4, doc. 748, p. 15s.

<sup>129</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 5881, p. 95.

<sup>130</sup> MHSI 29, *Epistolae S. Ignatii*, IV, doc. 3280, p. 660.

*pertinet ad confessarium magnopere, cum sit inhabilitas quaedam ad suscipiendum vel exequendum ordinem sacrum, quae sine peccato potest accidere. Quamvis ergo nos possimus absolvere a casibus reservatis et consequentibus censuris et poenis, aiunt quod ab hac sententia irregularitatis vel censura non absoluimus, quia non proprie dicitur quisquam absolui ab irregularitate, sed dispensari super irregularitate.*

*Alii tamen aliter sentiunt et quidem inter hos ego numerari possum; nam late sumendo verbum absoluo, sese extendere potest ad irregularitatem: et hanc fuisse mentem petentium et concedentis pontificis existimo. Tamen, ut disputationis locus non esset, in casu haereseos nobis concessum est ab eiusmodi peccatis et consequentibus censuris absolvere, et quatenus opus esset, dispensare super irregularitate consequente»<sup>131</sup>.*

ADRIAENSIS vero denuo 18 septembris 1553 circa dispensationes ab irregularitatibus, in casu cuiusdam REMIGII Iovaniensis, quaesivit; ei responsum est:

*«Cum domino Remigio dispensari potuit ut celebraret, quia Societati se dederat; aliter non licuisset. Absolvere quidem a peccato, quod suspensus vel irregularis celebrasset, poteramus; sed dispensare non est nostrum super irregularitate nisi cum nostris, quia reuera non attinet hoc ad forum conscientiae, nec intendit Societas hoc petere, nec ei fuit concessum, ut opinor. Licet autem uotum non habuerit, si in corpore Societatis est per deliberationem et oboedientiam, ei potuit hoc beneficium impendi»<sup>132</sup>.*

Quibus in responsis, ADRIAENSIS difficultates, imo et pugnancia quaedam invenerat, de quibus in litteris ad POLANCO, 16 octobris 1553, egit; cui rursus POLANCO, 28 novembris, rescripserat:

<sup>131</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3685, p. 388s.

<sup>132</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3851, p. 609.

*«Et quod attinet ad facultatem absoluendi, siue (ut proprie loquamur) dispensandi super irregularitate, non pugnantis inuicem scripta sunt alias, quamuis vltimis forte diligentius aut explicatius eadem de re scriptum sit.*

*Et summa haec est: quod absolvere ab omnibus peccatis, praeterquam reseruatis in "bulla coenae" et consequentibus sententiis, censuris et poenis, licuit nobis et licet per illud breve apostolicum Pauli III. Sed in irregularitate duo sunt: primum est, peccatum [quo quis] propter exercitos actus illicitos [dicitur] irregularis; alterum est inhabilitas quaedam, quae canonicum est impedimentum ad quosdam actus exercendos, et tamen non est peccatum, imo potest esse cum merito incursa. Ergo de peccato exercitorum actuum prohibitorum semper potuimus absolvere; sed ipsam inhabilitatem an potuerimus remouere in foro interiori, dubium fuit, nam proprie non dicimus absolvere ab irregularitate.*

*Vnde aliqui dicebant non esse intelligendam irregularitatem, quando nobis concedebatur absolvere a consequentibus peccatum sententiis, censuris et poenis, quia non absoluius proprie loquendo ab irregularitate, sed uerbo dispensando vti solemus. Nihilominus alii existimant late sumendum nomen absolutionis, vt etiam sese possit extendere ad notam irregularitatis; et secundum horum sententiam, cum irregularitas numeretur inter sententias, censuras vel poenas, existimabant ab ipsa nos posse absolvere: et his vltimis ego quidem assentiebar.*

*Nihilominus, cum ab hoc pontifice peteremus facultatem absoluendi a casibus haeresis et consequentibus sententiis, censuris et poenis, voluimus expresse ponere verbum dispensandi super irregularitate, ne dubio locus esset quod possemus, necne, hanc inhabilitatem remouere in foro conscientiae. Habes ergo rationem cur fiat mentio de dispensatione irregularitatis, quae consequitur haeresim, et non de aliis.*

*Quod autem dicebam non proprie pertinere ad confessarium, uerum quidem est, si, vt confessarium tantum accipies, secus si ut consultorem.*

*Cum nostris per bullam gratiarum Pauli III possumus super quacumque irregularitate expresse dispensare, et habilitare ad exequutionem ordinis.*

*Ex his respondetur dubio de Mag. Remigio. Si enim de Societate non fuisset, V.R. potuisset quidem eum absolvere*



*a peccato incurso propter exequutionem ordinis suscepti ante legitimam aetatem; sed dispensare cum eo super irregularitate vel inhabilitate non potuisset, praesertim in foro exteriori. Cum autem de Societate fuerit, non solum absolueri potuisti, sed etiam dispensare super irregularitate in utroque foro. Et de his [h]actenus»<sup>133</sup>.*

Haec autem POLANCO verba confirmant in primis eum facultatem absolvendi ab haeresi et a subsequentibus poenis ad omnes, non solum ad socios Societatis referre, id est, eum opinionem ampliorem, de qua antea, tenere; opinabatur etiam eandem amplitudinem habere facultatem expresse concessam in Brevi IULII III ad dispensandum ab irregularitate ab haeresi provenienti; ab aliis vero irregularitatibus posse dispensari pro certo habebat eos qui quodammodo ad Societatem pertinebant, «*personas sub eorum oboedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes*», prout in «Mare magno» PAULI III dicebatur; posse autem alios dispensari pro certo non habet.

Quod ipsum breviter in compendio litterarum, 23 decembris 1553, ad LUDOVICUM DU COUDREY, exponitur<sup>134</sup>.

Ut tandem haec dubia solverentur periti consulti sunt; POLANCO ad ANDREAM DE OVIEDO, Neapolim, 10 ianuarii 1554, scripsit non solum theologos, sed etiam eminentem quemdam iuris peritum censere facultatem absolvendi ab irregularitate in foro conscientiae in Societate haberi; velle se, ea ipsa hebdomada, si fieri posset, a poenitentiariis quaerere an ipsi iis privilegiis uterentur, quibus poenitentiarii uti apud Sanctum Antoninum dicuntur<sup>135</sup>.

<sup>133</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3945, p. 741s.

<sup>134</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, doc. 4006, p. 84.

<sup>135</sup> *Ibid.*, doc. 4158, p. 318.

SANCTUS ANTONINUS in Summa, parte III, titulo 17, capite 14, *Quid possunt poenitentiarii curiae Romanae*, haec scribit:

«*Et nota quod poenitentiarii minores in curia possunt absolvere vndecumque venientes ab omnibus casibus peccatorum et sententiis episcopis reservatis; habent enim auctoritatem quasi episcopalem in foro poenitentiae; et maiorem quoad quosdam casus excommunicationum et dispensationum. Summus autem poenitentiarius adhuc habet maiorem in pluribus aliis casibus excommunicationum et dispensationum*».

Quae cum ita essent, 21 aprilis 1554, ad CAESAREM HELMIO<sup>136</sup>, et die 1 octobris 1554, ad LAURENTIUM CAVALIERIO<sup>137</sup>, instructiones quaedam missae sunt.

Irregularitatum vero dispensationes ad publicas irregularitates non extenduntur, prout ad OLIVERIUM MANAREUM, apud Loretum, 3 novembris 1555, scriptum est<sup>138</sup>.

#### 19. PRIVILEGIUM SCHOLASTICIS SOCIETATIS GRADUS ACADEMICOS CONFERENDI

Ex privilegio in Bulla concesso Scholasticis Societatis gradus academici conferre Superiores valebant in duobus casibus; primum, si requisitis in Universitatibus adimpletis, eorum Rectores eos promovere «*gratis et amore Dei*» recusarent; secundum, ubi Universitates non adessent.

Iam vero, in litteris ad MICHAËLEM TORRES, 15

<sup>136</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, doc. 4381, p. 625.

<sup>137</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4843, p. 612.

<sup>138</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 5881, p. 95.

ianuarii 1556, legimus a Sua Sanctitate supplicatam et obtentam esse licentiam ut in Collegio Romano gradus conferri possent alumni huius collegii et Collegii Germanici, qui lectiones et exercitia scholastica ibi habuissent<sup>139</sup>.

Haec tamen non simplex concessio ad casum fuit, sed privilegium quod facultatem in Brevi concessam extendebat; in litteris ad HIERONYMUM NADAL, 20 februario 1556, notum fit Romanum Pontificem motu proprio concessisse eiusmodi facultatem, quae quidem primum adhibita esset in gradu doctoris conferendo duobus discipulis Dr. OLAVE, qui cum aliis alumni ad collegium Pragensem missi essent. Singuli per tres dias conclusiones ex novo et vetere testamento tenuerunt et publice legerunt; hi duo doctores fuerunt Mag. HENRICUS [BLISSEMIUS] et Mag. IOANNES DE TILIA<sup>140</sup>.

Die autem 5 iunii eiusdem anni 1556 iterum ad gradus doctorum et magistrorum alii in Collegio Romano promoti sunt<sup>141</sup>.

## 20. GRATIAE IUBILAEORUM

Binis in litteris, 12 iunii 1553, nuntius invenitur cuiusdam «*iubilei recenter a S.S. concessi*»<sup>142</sup>.

De hoc iubileo post annum in litteris ad HIRONY-

---

<sup>139</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 6101, p. 515.

<sup>140</sup> MHSI 40, *Epistolae S. Ignatii*, XI, doc. 6228, p. 32. Actus academici ad gradus doctorum conferendos describuntur etiam: *Ibid.*, doc. 6224, p. 21.

<sup>141</sup> MHSI 40, *Epistolae S. Ignatii*, XI, doc. 6544, pp. 496, 557.

<sup>142</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3467, 3469, p. 121.

MUM DOMENECH, die 11 iulii 1554, iterum mentio fit<sup>143</sup>.

Est ergo novum vivae vocis oraculum, «*recens*» privilegium; non vero agitur de illa indulgentia plenaria in Bulla PAULI III, *Licet debitum*, concessa.

Hoc iubilaeum in Indiis fideles lucrari posse in omnibus ecclesiis ubi socii Societatis residebant, non solum in Societatis propriis ecclesiis locisque piis, 24 februarii 1554, IACOBUS MIRÓN edocetur<sup>144</sup>.

## 21. DISPENSATIO AB IMPEDIMENTIS CONSANGUINITATIS ET AFFINITATIS MATRIMONIALIBUS

In eisdem litteris ad MIRÓN, 24 februario 1554, notum fit per decem annos eos, qui recenter conversi sunt, posse cum propinquis in tertio aut quarto gradu matrimonium contrahere, ne illis eiusmodi impedimenta duriora videantur; MIRÓN etiam rogatur ut documentum transcriptum ad Goam et Brasiliam mittat<sup>145</sup>.

Paulo post, 26 iulii 1554, eidem IACOBO MIRÓN animadvertitur privilegium eiusmodi post decem annos prorogari posse, licet ad eius expeditionem pecunia solvenda erit<sup>146</sup>.

Aliud quidem fuit privilegium contra ius.

---

<sup>143</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4598, p. 224.

<sup>144</sup> MHSI 33, *Epistolae S. Ignatii*, VI, doc. 4200, p. 371.

<sup>145</sup> *Ibid.*

<sup>146</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4652, p. 323.

## 22. ALIA PRIVILEGIA, VIVENTE IGNATIO, PROCURANTUR

a) *Supellectilem benedicere, calices consecrare*

FRANCISCUS ESTRADA in litteris 1 iunii 1553, Burgis, rogaverat ut gratia obtineretur qua praepositi domorum benedicere possent paramenta, aras, aliaque ad servitium altarium necessaria, qua facultate alii Ordines potiuntur<sup>147</sup>.

Ei responsum est, 21 augusti eiusdem anni 1553, non constare an Praepositi aliarum Religionum in Europa benedicere possint altaria, quamvis paramenta certo benedicere possint; ad paramenta quidem benedicenda facultatem cito procurandam fore<sup>148</sup>.

Nec tunc, nec sequenti anno<sup>149</sup> procurata est haec facultas, quandoquidem eidem PELLETIER, 20 decembris 1555, notum fit non oportunum videri ut tunc licentiam paramenta benedicendi procuretur<sup>150</sup>.

Notandum est in Bulla PAULI III, *Licet debitum*, hanc facultatem iis tantum, qui in «remotissimas» regiones mittuntur, concedi. Decem post annos, 1565, cum PIUS V, per Bullam *Aequum reputamus* communicationem privilegiorum mendicantium concesserit, hanc etiam supellectilem benedicendi facultatem, quam mendicantes habebant, Societas nacta est.

b) *Aedificare intra cannas mendicantium*

Iacobus MIRÓN in litteris 11 octobris 1547, Valentia, difficultatem exponit quam contra constructionem

<sup>147</sup> MHSI 17, *Epistolae mixtae*, III, doc. 611, p. 326.

<sup>148</sup> MHSI 31, *Epistolae S. Ignatii*, V, doc. 3682, p. 384.

<sup>149</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4744, p. 469.

<sup>150</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 6028, p. 360.

collegii mendicantes movebant, privilegium cannarum vindicantes. Unde MIRÓN proponebat ut a Romano Pontifice obtineretur dispensatio ad aedificium exstruendum intra spatium in quo ex privilegio Mendicantium vetitum erat ne ecclesiae aedificarentur<sup>151</sup>.

Primum IGNATIUS eiusmodi privilegium contra cannas procurare reiecit, ut in litteris ad IACOBUM MIRÓN, 12 martii 1548, notum fit<sup>152</sup>.

Hanc eandem difficultatem Barcinone, Compluti, Caesaraugustae, deinceps Societatis socii experti sunt; ideo anno 1555 privilegium procurandum opportunum visum est, quemadmodum POLANCO ad ALPHONSUM ROMÁN, Caesaraugustae degentem, 12 martii 1555, scripsit<sup>153</sup>.

Exeunte vero eodem anno, litteris 23 novembris 1555 datis, IOANNES PELLETIER edocetur, postquam Romae res agitata sit, conclusum esse privilegium Societatis alia privilegia derogare, ut in bulla PAULI III, anno 1548, apparet, eo vel magis quod Mendicantium privilegia collegia Societatis non excludant, sed domus et monasteria Mendicantium<sup>154</sup>.

Quattuor post dies, 27 novembris, ad ALPHONSUM ROMÁN, Caesaraugustae degentem, notum fit nec esse necessarium nec oportere tunc declarationem privilegii Societatis procurare, quamvis minuta, sat ampla, iam praeparata esset<sup>155</sup>.

Oportunum tandem tempus advenit cum aliquot post annos LÁÑEZ, Generalis, anno 1561, illud a Pio IV obtinuit.

<sup>151</sup> MHSI 12, *Epistolae mixtae*, I, doc. 125, p. 411.

<sup>152</sup> MHSI 26, *Epistolae S. Ignatii*, II, doc. 267, p. 16.

<sup>153</sup> MHSI 36, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 5245, p. 531.

<sup>154</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 5937, p. 196.

<sup>155</sup> *Ibid.*, doc. 5950, p. 217.

c) *Iureiurandorum dispensatio*

In litteris ad IOANNEM B. BARMA, 27 iulii 1554, de alia facultate mentio fit, nempe, de facultate relaxandi iuramenta, quae inter alias procuraretur, licet nonnulli censerent privilegia Societatis haec etiam comprehendere<sup>156</sup>.

Fortasse quidam sic opinabantur, ex eo quod in Brevi *Cum inter cunctas*, 3 iunio 1545, facultas commutandi quaecumque vota, exceptis ultramarinis, peregrinationis in urbem Romam aut in Compostellam, Religionis et castitatis, concedebatur. Attamen, licet doctrina dispensationem votorum et iuramentorum aequiparasset, in Brevi commutatio tantum, non relaxatio, aut dispensatio, de qua agebatur, concessa erat.

Nescimus an facultas haec relaxandi iuramenta, vivente IGNACIO, procurata sit.

GREGORIUS XIII quidem, per Brevem *Decet Romanum Pontificem*, 3 maii 1575, tandem concessit facultatem «*commutandi vota etiam adiurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat*»<sup>157</sup>.

d) *Absolvere a casibus reservatis in carcere detentos*

LUDOVICUS DU COUDREY, 25 novembris 1554, Florentiae, aliud privilegium procurandum proposuerat, quo incarcerati iique qui in galeras mittuntur a casibus in bulla In coena Domini reservatis absolvi possint<sup>158</sup>.

<sup>156</sup> MHSI 34, *Epistolae S. Ignatii*, VII, doc. 4657, p. 332.

<sup>157</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. 1, Florentiae 1892, p. 59.

<sup>158</sup> MHSI 36, *Epistolae S. Ignatii*, VIII, doc. 4981, p. 98.

Alia negotia impediunt ne cito haec facultas procuraretur<sup>159</sup>; immo, tres post hebdomadas nondum petitio facta erat, ut ex litteris ad eundem COUDREY, 22 decembris 1554, constat<sup>160</sup>.

Concessum tandem est hoc privilegium a Pio IV, vivae vocis oraculo<sup>161</sup>.

#### e) *Licentia ad medicinam exercendam*

In litteris 5 ianuario 1556 ad HIERONYMUM DOMÉNECH notum fit doctorem TORRES, obtenta licentia papali, medicinam domi et in collegio magna cum consolatione et devotione exercere<sup>162</sup>.

Licet dispensatio in casu particulari videri posset, in litteris 6 iulii eiusdem anni 1556, de quadam communicatione pro medicis Societatis mentio fit<sup>163</sup>; unde licentia generalis concessa videtur.

Quae facultas antecessit concessionem per Brevem a GREGORIO XIII factae, 11 februarii 1576, *Unigeniti Dei Filii*, quo religiosi Societatis, in medicina peritis, facultas concessa est exercendi medicinam in favorem quorumcumque infirmorum, «*citra adustionem et incisionem*», ubi oportunitas adeundi saeculares medicos abesset<sup>164</sup>.

<sup>159</sup> *Ibid.*, doc. 5006, p. 131.

<sup>160</sup> *Ibid.*, doc. 5042, p. 185.

<sup>161</sup> *Compendium privilegiorum et gratiarum Societatis Iesv*, Romae, MDCVI, p. 10, § 5.

<sup>162</sup> MHSI 39, *Epistolae S. Ignatii*, X, doc. 6075, p. 467. Virtutes et vocatio religiosa doctoris Balthasaris Torres, medici viceregis, in: MHSI 17, *Epistolae mixtae*, 3, doc. 582, p. 239s.

<sup>163</sup> MHSI 42, *Epistolae S. Ignatii*, XII, doc. 6660, p. 92.

<sup>164</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. I, Florentiae, 1892, p. 60s.



f) *Iudices conservatores*

In litteris ad FRANCISCUM BORGIA, Burgis, 10 augusti 1553, oportere dicitur ut Societas haberet «conservatoriam» ad eligendos iudices et ad conveniendum coram eis impugnatores Instituti eius, cum nimium tempus teratur in repellendis contradictionibus, et exinde multum detrimentum fructus ministeriorum patiatur<sup>165</sup>.

Hanc facultatem concessit PIUS V in Bulla, quae eo vivente non est promulgata; tandem GREGORIUS XIII eam die 25 maii 1572 publici iuris fecit<sup>166</sup>.

\* \* \*

Complura ergo privilegia S. IGNATIUS pro Societate procuravit, quibus ad iuvandas animas socii in missionibus inter fideles et infideles suppeditarentur. Plures deinceps eius successores etiam procurarunt gratias, quas ad iuvandas animas necessarias esse censuerunt; quarum tamen recensio limites huius scripti excedit.

ESTANISLAO OLIVARES S.J.

---

<sup>165</sup> MHSI 17, *Epistolae mixtae*, 3, doc. 647, p. 428.

<sup>166</sup> *Institutum Societatis Iesu*, t. 1, Florentiae, 1892, p. 50ss.